


XLIX
a
32

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
A
32
NAPOLI

SANCTAE INQVISITIONIS HISPANICAE ARTES ALIquot detectæ, ac palam traductæ.


EXEMPLA ALIQVOT, PRAEterea quę suo quęq; loco in ipso opere sparsa sunt, seorsum reposita, in quibus easdem Inquisitorias artes veluti in tabulis quibusdam in ipso porrò exercitio intueri licet.

ADDIDIMVS APPENDICIS VICE *piorum quorumdam martyrum Christi elogia, qui cum mortis suppliciū ob Fidei confessionem Christiana constantia tulerint, Inquisitores eos suis artibus perfidiæ ac defectionis infamarint.*

REGINALDO GONSALVIO *Montano authore.*

* *

*


BIBLIOTECA NAZIONALE
NAPOLI

Exurge Deus, iudica causam tuam Psal. 74.

HEIDELBERGÆ
M. D. LXVII.

Rerum capita quæ in prima libelli huius parte continentur: quas eo ordine disposuimus quo ipsi Inquisitores in suis actionibus procedunt.

1 Peculiaris ratio quæ ab Inquisitoribus in accersendis apud eorum tribunal delatis, aut etiam comprehendendis obseruari solet.

2 Bonorum sequestratio, sequestrum uulgo dictum.

3 Audientiæ multiplices.

4 Publicatio (quam uocant) testium.

5 Testium confutationes.

6 Sententiæ ad torturas, & earum exequutio.

7 Aliæ inquirendi artes.

8 Aliæ artes secretiores.

9 Quomodo cum captiuis agatur quoad uictus totius rationem.

10 Visitationes carcerum.

11 Actus fidei, seu sententiarum publicatio.

12 Sententiarum interpretationes.

Originem uerò Inquisitionis cum alijs rebus scitu dignis ex præfatione cognoscet lector.

Præ-



rerum capita quæ in primis Meditanda [illegible] continentur: quorum [illegible] ordine [illegible]
[illegible] præsentur.

1 Familiaris ratio quæ ab Inquisitoribus in accersendis ad eorum tribunal delatis, aut etiam comprehensis obseruari solet.

2 Examen seu quæstio, seu [illegible] vulgo dictum.

3 Accusatio & [illegible].

4 Publicatio (quam uocant) testium.

5 Testium [illegible].

6 Sententia ad torturas, & earum executio.

7 [illegible] artes.

8 Aliæ artes [illegible].

9 Quomodo cum captiuis agatur quoad uictus totius rationem.

10 Visitationes carcerum.

11 Actus fidei, seu sententiarum publicatio.

12 Sententiarum interpretationes.

Originem uero Inquisitionis cum alijs rebus scitu dignis ex præfatione cognosces lector.

Præ-





N tanta rerum perturbatione, qua tot populi & gentes in ſuos contribules ac conciues, hoc eſt in ipſa patriæ viſcera, propter Inquiſitionem (ſi verum dicere licet) arma ſumunt, alijs eam vt rem ſacroſanctam & reipublicæ in primis ſalutarem, propugnantibus, alijs contrà, vt liberis hominibus indignam quandam ſeruitutem non tam conuellere, quam à ſe depellere nitentibus, dubitauerit quis meritò, vtri inſaniant? Fieri enim non poteſt, vt quéadmodum expedita arma iàm ſunt vtriſq; , ita etiam in tanta ſententiarum quanta & animorum diſſentione ius faſq; ab vtriſque ſit: néque ſi alij iuſta arma induerunt, alijs iuſta eſſe poſſunt. Atqui non videtur veriſimile, vt ſumma orbis capita (vt humiliorũ ordinum vulgus ingẽs omittamus) quæ eam ſibi omninò vindicandam cenſuère, in cuius etiam verba ſumma cum religione neque cum minore pompa quotannis ſacramenta dicunt, à vero iuſtoque

aberrent : præſertim cùm neque ipſi nunc primum inuenerint, neque vt nuper è terra natam tueantur, ſed quæ à maioribus accepta, opinione ſanctitatis ac ipſa antiquitate veneranda, authoritate ſupra humanam velut cęleſte quodpiam inter mortales numē hactenus obtinuerit. Hos quoque præclaros titulos haud vulgaria emolumenta comitantur: nempe quòd Iudaicarum & Mahumetanarum hæreſum peſtes atque alios complures errores, qui aut certis aut incertis porrò ducibus, nominibuſque quotidiè emergunt, ſolerti induſtria compeſcat, vt & regij fiſci, & priuatarum quorumdam opum augmentum licet ingens, tamen ceu rem leuioris momēti miſſum fecerimus.

Verùm quùm ex ipſius Veritatis ſententia atque ex ipſa rerum natura neq; certius, neq; faciljus de arboris ſiue bonitate, ſeu malitia, quam per illius fructus, quiſquam iudicauerit, in hoc ſanè non minus vtili quam periculoſo iudicio, citrà cuiuſquam inuidiam, ea ipſa ratio nobis tenenda eſt, quandò eò iam ſcilicet ventum eſt mali, vt ea vocare in dubium pergant homi-

mines, quæ per ſummum errorem, ne dicam ſtuporem, hactenus pro ſanctiſsimis coluêre. Iam ſi Inquiſitio bona arbor eſt, vel, ſi mauult, ſancta, patietur (credo) libenter fructus ſuos prodire in lucem, ad quorum bonitatẽ atque etiam ſanctitatem ſua tum bonitas tùm ſanctitas, citra vllam aut fraudẽ aut inuidiam, exigantur. Amat enim lux lucem, & qui facit veritatem, vel ipſis tenebris obſiſtentibus, in lucem vltro prodit, vt ipſius opera in Deo facta manifeſtentur. Qui verò mala agit, odit lucem: & tyrannico ſilentio, quùm poteſtas adeſt, linguis hominum iniecto, facta ſua, né à luce redarguantur, premit. Ergo hoſce Sanctæ inquiſitionis fructus, quos ex multiplici alioqui ſua fœcunditate in ſpecimen arboris decerpere, diuina ſanè Prouidentia, datum eſt, contẽpletur iam Chriſtianus orbis vniuerſus, ac per eos ipſos haud multa cũ difficultate de huius ſanctæ arboris aut conſeruatione aut demum extirpatione apud ſe conſtituat.

Enimuero in eo vno totius iam deliberationis huius cardo verſatur, videlicet, an quæ hic à nobis de ſancta Inquiſitione refe-

 ren-

rentur, vera ſint. Deindè & vndè ea habue-
rimus. Neq; enim de arboris iuſta fundi-
tus exciſione quiſquam amplius dubitet, ſi
illam eiuſmodi peſtilentes fructus ferre, a-
licundè bona fide conſtet. Periculum verò
eſt maximum, ſi hæreticis ſcilicet homini-
bus ab ipſa Inquiſitione ceu a grauiſsimo
eodemque iuſtiſsimo flagello abhorrenti-
bus ac iure proinde ſuſpectis eius rei fides
tribuatur. Quare operæpretium quoq; du-
cimus compendioſam eandemq; certiſsi-
mam rationem indicare, qua eius rei veri-
tas abſque multo molimine poſsit depre-
hendi. Ea eſt, ſi Rex ipſe cuia in primis in-
tereſt iuſtitiam in ſua ditione adminiſtra-
re, ſibi primùm perſuadeat, & poſſe & de-
bere ſe ad rationes cogere tribunal Inquiſi-
torium, neque vllis inſtitutionis ipſius le-
gibus, priuilegijs, bullis, indulgentijs iu-
ramentis denique ab eo ſe officio prohibe
ri poſſe. In animum deindè Inducat, inqui-
ſitione ſeria atque incorrupta in ipſam In-
quiſitionem inſtituta, per graues atque in-
corruptos viros de hiſce rebus edoceri vel-
le, qui, aſcitis iis qui aliquam earum re-
rum notitiam habere poſſe exiſtimantur

(pro vt in aliorum iudicum residētiis, quas vocant, probatissima omnium ratione fieri consueuit) ab illis inuestigent. Accersendi ante omnes essent ad eiusmodi quæstiones vincti ipsi Inquisitoriorum carcerum, & qui nunc sunt & qui olim fuerunt: sed detractis lupatis illis plusquam ferreis, quibus in ipsorum ora iniectis, tyrannidem suam tutam reddidit Inquisitio. Ea sunt æternum silentium, accepto etiam grauissimo iuramento, illis indictum, nè quid reuelent quoquo modo eorum omnium, quæ, dum in carcere essent, de Inquisitione, deque vniuersa illius ratione agendi, aut nouerunt, aut viderunt, aut porrò ipsi experti sunt: quin potius ea in parte se deinceps existiment fuisse mortuos quandiu ibi degerunt, Et nè iuramenti fides parùm tuta sit, adduntur horribiles comminationes. Ista potissimùm arte aliæ omnes inquisitoriæ artes hactenus latuère, & sub zelo pietatis grassari eis tuto licuit, neq; tamen ocultè adeò, quin tyrannicam sæuitiam, licet confusè, & veluti à longè iam dudum vniuersus orbis subolfecerit. At cohibent linguam omnes, ne eandem in propria cute distin-

diſtinctius ſpecialiuſq; cogantur experiri. Hoc lupatum, ab ijs qui interrogandi ſint, auferendum omninò eſt, & facienda primum poteſtas tutò dicendi, ſi arcana illa myſteria tanto cum reipublicæ malo, hactenus omnibus tanto ſtudio celata, in lucem prodire quis velit. Itáque ſi parum, aut nihil fidei nobis fortè, vt pote ſuſpectis, in præſenti narratione tribuetur; quùm ad ipſam legitimam ſeriamque rerum inquiſitionem prouocamus, nobis ipſis omnem ipſi quoque detrahentes fidem, vtique non eſt quòd ex noſtra ſiue authoritate ſeu leuitate, ſed ex ſe ipſa, quiſpiam rem tantam metiatur.

Vnde verò ea nobis cõſtent, nihilo magis ad cauſam pertinet, quare, licet ea quoque in parte ſimus nobis probè conſcij, tamen neque ea nos iuuari volumus, neque prætermiſſa ipſius cauſæ cognitione id iure nobis quiſquam obiecerit.

Cęterùm in illis præclaris emolumentis, quæ ſupra commemorata à nobis ſunt, quæ & ab Inquiſitionis fautoribus iactari vulgò ſolent, nihil ipſis eſſe præſidij, parti autem aduerſæ multum, facilè intelliget,

qui (omisso equidem regio fisco, & aliorum opibus quauis ratione partis, nè fortunis ipsorum tantum inuidere videamus) nobiscum animaduertet, ex tot hominũ myriadibus, qui ex Iudęis, ex Mahumetanis, ex Christianis demùm, aut veris, aut hæreticis & à Romana fide resiliẽtibus in Inquisitorum manus inciderunt, ad hunc vsque diem ostendi quidem posse Sambenitorum multa millia aliorum, quos igne perdiderint, aliorum quos præter inustam & ipsis & eorum genti ad omnem posteritatem indelebilis ignominiæ notam, fortunis omnibus exuerint, atque, vt summatim dicam, ostendi quidem posse tot miserorum hominum exuuias, quot, quantulacùmque de causa, ipsorum subiêre censuram: quẽ verò in errore suo salubrius edocuerint, ad frugemue reduxerint meliorẽ, nè vnum quidem.

Iam quod de Inquisitionis origine, antiquitate, & nominis fulgore hominum perstringit oculos (ecquis enim ad hæc sacrosancta nomina, Sancta Inquisitio, Patres fidei, Inquisitores hæreticę prauitatis & apostasiæ, adorabundus non incurue-

tur?) vt oſtendamus quo iure ea ſibi vendicet, & de his quoque nonnihil prætandum eſt.

Defuncti eo bello Reges Catholici Ferdinandus & Iſabella fœlicis memoriæ, quo, Mahumetanis, qui per totos ſeptingentos ſeptuaginta octo annos à poſtremo ex Gottis Hiſpaniarum rege Roderico Hiſpaniam occuparant, Granatenſi regno vrbeque ac tota demùm Hiſpania eiectis, & patriæ trãquillam libertatem, & ſibi immortalem gloriam compararunt: ex diuturni belli tumultu ad repurgandam fouendamque religionem animos conuerterunt. Dederunt ad id occaſionem cum ex debellatis Mauris toti populi ſub conditionem Chriſtianam fidem amplectendi in fortunis ſuis à regibus relicti, tũ ex Iudæis numerus illo Maurorum non inferior, qui alijs traiecto Herculæo fræto Hiſpania excedere iuſsis, eadem qua Mauri conditione manere permittebantur. Incoluerant Iudæi Hiſpaniam, vt vetutiſsimi ipſorum annales referunt, ab ipſo Ieroſolymitano excidio per Titum Romanorum Imperatorem, qui eos illuc abduci iuſſerat, dura quidem & propemo-

dum ſeruili conditione, tamen ob id haud omninò miſeri, quòd ad mutandam religionem illos nemo vnquam anteà compulerat. His igitur, vt pote nomine tenus nouis Chriſtianis, & haud obſcurè vi potius quàm ſua ſponte Chriſtianis ſacris initiatis, de meliore inſtitutione proſpectum cupiebant Reges: pia certè cogitatio & Chriſtianis regibus in primis digna, niſi optima conſilia maleferiati eorum directores, ſeu potius inuerſores, malignè corrupiſſent. Aderant enim Regibus veluti perpetui & actionum omnium & conſiliorū directores (vt impudens hominum genus arrogantia ſapientiæ & ſanctimoniæ ad ipſa vſq; ſecretiora regum cubicula irrumpere conſueuit) ex ordine monachorum quidam ex Dominicana præcipuè factione, quibus boni alioqui Reges nihil non deferebant in rebus præſertim religionis & conſcientiarum. His piarum Regum cogitationum directoribus, pro piæ inſtitutionis magiſtris, paſtoribus, atque doctoribus, qui inuitos illos Chriſtianos, qua par erat & Charitate & diligentia, ab inueteratis ſuis erroribus ad Chriſtianam veritatem ex ani-

 mo

mo amplectandam reuocarent, nouū quoddam tribunal Inquisitorum erectum est, quo homines alioqui satis miseri melioris illius institutionis loco, qua presentem calamitatem abundè satis compensare potuissent, exagitarentur, expilarentur, exigerentur, raperenturque vel ad horrenda mortis supplicia, vel ad flagra perpetuamque tùm ignominiam, tum etiam, direptis fortunis omnibus, egestatem: Neque ad ea perferenda oportebat semper ad satietatem vsque maledixisse Christo: leuicula quæpiam ex Mahumethismo aut Iudaismo repetita ceremonia erat satis: aut certè leuiculus quiuis in ea fide error, cuius nè prima quidem rudimenta didicissent. Non defuit nouo inuento constabiliendo sua opera Sixtus Quartus per eos dies Romanus Pontifex: atque ita demum & regia pariter & pontificia authoritate adeò communitum est, vt nisi sua ipsius mole, qua orbi jam intollerabilis euasit, oppugnaretur, videri æternum potuisset. Sic videlicet prospectum est de pijs pastoribus nouo Christiani gregis augmento, qui gregem pascerent, non se, qui neque

ad ſanguinem vſque emulctum lac deuorarent: néque lana gregis, imò & ipſis pellibus crudeliter detractis, operirentur? Qui, quod pingue appareret, non occiderent: quin potius infirmum conſolidarent, ægrotum curarent, colligarent benignè confractum, abactum reducerent, errantem Paſtorali pietate quærerent: neq; cum auſteritate & violentia imperarent ijs, quibus, quòd peculium eſſent Chriſti, cum ſumma animi humilitate deberent potius inſeruire. Inquirebant quidem, inquiruntq; etiamnum errantes oues, abactas, palantes, idque ſumma cum diligentia: at ad macellum, non ad ſalutem, ſed pergamus.

Vt patres Dominicani illius conſilij fuère authores, ita etiam, qua valebant authoritate apud Reges, eam tyrannidem facilè ad ſe traxerunt prætextu in primis doctrinæ fidei, cuius ipſi iam olim dicebantur propugnatores. Sed ij, auaritia, ſuperbia, atque ambitione (quibus prçcipuè morbis apud vulgus ipſum iam dudũ ſunt infames) ſæuitia item, ac duritie imperij in ſublimi, ne dicam ſummo illo magiſtratu facti intollerabiles etiam ipſis regibus,

qui eos paulò ante in eo faſtigio collocaue rant, honeſtis tamen conficitis prætextibus, loco moti, ac ea functio ad clericos tranſlata. Eius dignitatis primùm poſſeſſę, deinde amiſſæ apud Dominicanos veſtigia nūc ſunt vetuſtiora eorum templa Sambenitis, ceu trophæis quibuſdā, adornata illorum, quos, dum in illo magiſtratu eſſent, malemulctarunt. At Manet alta mente repoſtum iudicium Paridis, ſpretæque iniuria formæ, Et genus inuiſum, & rapti Ganimedis honores.

Retinent verò adhuc mordicus vetus Inquiſitorum nomen, aliquando haud dubiè ius ſuum repetituri. Iſtis ſolum & non alijs, ambitioſis peruerſiſque conſultoribus, qui pias & Eccleſiæ Dei ſalutares Regum cogitationes ad propria commoda atque honores malignè conuerterunt, Inquiſitionem hodiè debemus: alioqui quid attinebat, pro Chriſtianæ fidei ſedulis ac fidis inſtitutoribus, prudentibuſque zelatoribus nouum ac toti orbi antea ignotum tribunal erigere, quod ad Religionem ignorantibus edocendam, & refractarijs animis incutiendam non pia eruditione, doctrina,

Cha-

Charitatéque Ioa. 21. c. in primis, quam in pastore vnice requirit Christus, sit instructum, sed potentia, sæuitia, maiestate, imperio, catenis, torturis, restibus, lupatis, Sambenitis, fasciculis? Non sanctis ac mysteriorum Christianæ religionis peritis in Dei opere coadiutoribus sit constipatum, sed quæstore, fiscali, scribis, apparitoribus, carcerum præfectis, familiarium (quos vocant) numeroso ac propemodum infinito satellitio? Quis non dicat ad imponendum populo nouæ seruitutis iugum, vnde nouæ quoque opes fisco accederent, quam ad religionis augmentum, hæc omnia potius esse cōparata? Perindè ac si peritissimum quenque venatoriæ artis delegeris, quem arcu & sagittis armatum, laqueis, muscipulis, & retibus instructum, pernicibus canibus constipatum misseris ad prędicandum Euangelium & propagandam Christianam religionem: quis obsecro mentis compos, præsertim si ex crebris prædijs sanguine perpetuò madentes manus fuerit intuitus, hunc venatorē quempiam insignem non iudicet, potius quam concionatorem Euangelicum? Erat profecto piorum episcopo-

coporum, ſiqui extitiſſent, munus illud docendi verām pietatē & nouis illis & veteribus Chriſtianis: neq; ab hominibus, ſed à Chriſto ipſo illlis cōmiſſū: iſtis vero officiū ſuum aut ignorantibus aut negligētib9, nè vnus quidem fuit ex ordine vel epiſcoporū vel theologorum, qui exiſtimaret auferri ſibi bonā functionis ſuæ partē, ad quā nouū illud tribunal creabatur: adeò ōnes prorſus aboleuerāt Chriſtianę diſciplinæ leges.

Neque verò inſtituta conſtabilitaque in eum modum Inquiſitio, quantumuis ſumma orbis authoritate, regia videlicet atque pontificia, ad hæc quoque, licet eximia illa ſpecie ſanctitatis, omnium calculis videretur approbanda, illico ab omnibus recepta eſt, Rege namque Ferdinando eam in patrio regno Aragoniæ obtrudere conante, Regni proceres modeſtè quidem primum interceſſerunt: deindè cum vis immineret, vi quoque obſtiterunt, cauſantes ad imminuendam potius Regni libertatem id ſpectarè, quam ad religionis repurgationem. Neque prius recepta eſt (ſi tamen recipi dici poteſt, quod vi obtruditur) quam multo ſanguine ex vtraq3

par-

parte effuſo, ſedes illi conſtitiſſet. Teſtatur id hodiè, præter inuidiam qua ſanctam Inquiſitionem vniuerſi tum proceres, tum populus in eo Regno proſequuntur, Magiſter AEpila ad id muneris cum ſumma authoritate illuc ab Rege miſſus, & à proceribus occiſus apud Cæſarauguſtam, in ipſo ſummo vrbis templo, quod diuinitatem poſtea illi apud ſuperſtitioſum vulgus peperit. Pro indubitato enim fertur cruorem recenter occiſi ad ipſum vſque altare ebullientem aſcendiſſe, eo prodigio ſcilicet conteſtante numine & occiſi innocentiam, & cauſæ, pro qua occubuit, æquitatem. Licet verò apud ipſius ſepulchrum crebra miracula illud ipſum etiamnum cõteſtentur (quæ eſt hominum vanitas, & in eiſdem decipiẽdis qui, iuxta dictum Pauli, 2. Theſſ. 2. veritatis amorem reiecerunt, diaboli potentia) tamen Sancti titulum, quo Sanctus AEpila vocaretur, nondum eſt conſequutus, eò quod occiſus pro ſanctiſsima ſcilicet cauſa, armatus ſubtus veſtes inuentus ſit non ſolum ferrea interula, quod diuinæ, appellationi, vt inquiunt, non obſtitiſſet, verum etiam machæra: id

enim tanto honori vnum obſtat.

Atqui, vt ad inſtitutum redeamus, di-ces, Non vt per eam in Religionis inſtitu-tis edoceretur quiſpiam introducta eſt In-quiſitio, ſed vt errores & hæreſes puni-rentur, extirparenturque. Aſſentimur equidem. Aliud enim pij reges in initio co gitaſſe, quam quod malignis conſultori-bus poſtea exijt, ex ipſorum pietate appa-ret: quare Inquiſitione inſtituta in eos, quos dicunt fines, atque, vt nonnulli volunt, an te bellum Granatenſe, id quod inſtituto noſtro nihil incommodat, illa certè cura edocendi ſcilicet fidem nouis Chriſtianis in parrhochos primùm, ab his deindè in ſuos ędituos & clericos in ſuo quemq; op-pido aut vico in totum reiecta eſt, qui oui-culas miſerè deceptas, Aue Maria, Pater noſter, Credo, Salue regina barbaris po-tius quam latinis verbis edocerent, ac per iocum etiam multamque miſerorum irriſionem, potius quam ſeriò: neq; id gra tis, ſed multo pretio, ſæpè etiam, præter vulgarem exactionem, vxorum & filiarum pudicitia. At verò quinque illa Eccleſiæ ſcilicet præcepta ad ſalutem omninò ne-

ceſſa-

cessaria, De audienda Missa diebus festis ac dominicis, De confitendo, De sumendo pane Missæ, De ieiunando quum sancta mater Ecclesia iubet, De decimis & primitijs persoluendis, verbis plusquam perspicuis ad nauseam vsque vrgerentur. Eiusmodi in Religione institutione quid obsecro aliud quæri videbatur, quam perpetui miserorum hominum errores, quorum occasione instituta ex altera parte Inquisitio, velut robusti atque armati venatores è specula insidiantes prædę, ea sine fine potirentur? Sed ad rem.

Vt demus in eos fines institutam Inquisitionem, néque jam ad eandem pertineat in fide edocere cuia intersit errores extirpare, tamen bonis ac circunspectis consultoribus prouidendum erat, ne episcopi Christiani eo functionis suæ iure fraudarentur, quod habent ex ipsis sacris literis. Item, ne alio ferro, igneue extirpari hæreses crederentur, quam ipso Dei verbo. Docebat vtrumque apertè Apostolus in epistola ad Titum vbi inter alias Christiani episcopi dotes, eum tenacem esse vult fidelis sermonis, qui est secundum doctrinam, quó po-

tens (inquit) sit ad exhortandum, & eos qui contra dixerint, conuincendum. Vt enim veram ac saluificam fidem (quæ est illius natura) vi aut cruciatibus nunquam elicies, ita hæreses neque ipsa hæreticorum morte extirpaueris: aptissimum verò ad vtrumque, ipsum Dei verbum, quo vno fides & gignitur & augescit: & quicquid veræ fidei consentaneum non est, ad ipsius verbi fulgorem expensum, illicò deprehendetur. Erant ergo consulendæ sacre literæ, ecquas pœnas ipsæ constituerent in refractarios & veritati obstinatè resistentes: flagráne, an sæuissima omnium ignis supplicia? Nam illis fortunarum proscriptionibus quid auarius? iniquius? absurdius, & à christiana professione alienius? Iam eo mulctæ genere (ignominiam illam nulla postea ratione compensabilem prætereamus) vel ergâ eos vti, qui ab errore resipuerint, quibus verbis pro merito traducemus? Paulus in eo, quem citauimus, loco nihil pœnarum constituit. Fieri enim potest, vt quis cõuictus resipiscat, ergâ quem, non mulcta vllius generis, sed summa potius lenitate ac benignitate pastori fido sit

vten-

vtendum. Atqui alibi in refractarium quid aperte constituat, audiamus. Hæreticum (inquit) hominem post vnam atque alteram commonefactionem devita. Commonefieri erroris iubet, semel, bis, idque ab episcopo, non in ius trahi, & ad erroris pœnas, easque longè grauissimas, continuò exigi. Quod si commonefactio benè succedat, est vndè, de lucrato ad vitam fratre, Christi membro, & episcopus & Ecclesia gratuletur. Sin minus, excommunicari illum iubet, hoc est, à cœtu piorum arceri, excludique, atque id non in erroris aut contumaciæ vindictam, sed in remedium. Consonat hæc Apostoli sententia decreto Magistri, Matth. 18. Si neque te (inquit) neque hos, hoc est eos qui secundò commonefecerunt, audiuerit, dicito Ecclesiæ, quam nisi audiuerit, sit tibi sicut æthnicus & publicanus. Id est, iudicato eum ad piorum cœtum & Regnum Christi non magis pertinere, quam qui fidē nunquam receperint. In hoc seueritatis gradu, eoq; si benè perpendatur satis seuero, sistit gressum Christiana disciplina. Hoc tribunali, his legibus, hac in audientis methodo pro-

cedendi aduersus errantes fratres, & aduersus omnis generis hęreses abūdé sibi à Christo prospectum existimare debuisset Christiana pietas (si qua erat) quibus, in extirpandis omnibus hæresibus, quæ vnquam in ea pullularūt Ecclesia fœliciter vsa fuit. Errores vero errantium morte qui vellet extirpare, perinde sanè fecerit ac prouidus scilicet medicus, qui ægrotus malo quopiam morbo liberare cupiens, dedita opera extinxerit. Adde quod qui ea ratione hęreses extirpare se dicunt, præterquā quòd illud non consequuntur (adhuc enim mendacium manet in opinione veritatis) erranti è medio sublato omné salutis rationem præcidunt. Fieri enim posset, vt sunt abstrusa atque incomprehensibilia Dej iudicia, vt in vita seruatus, ad meliorem frugem aliquando tandem reduceretur. At periculum est, nè alios morbo suo inficiat. Fatemur, atque ob id vitari & ab Ecclesię corpore resecari iubet & Magister & Apostolus. Quòd si rationibus fortè probabilioribus, pœnis adhuc seuerioribus in eiusmodi contumaces animaduertere libebat, àn ad id non erat sufficiens satis legitimus or-

dina-

dinarius magiſtratus?

Haud dubiè reſpondebunt, ad ſecculares magiſtratus pertinere non poſſe hæreſum cognitionem, vt pote qui & doctrinæ ſacræ eruditione, & rerum eccleſiaſticarum peritia ſint deſtituti. Id enim pluſquam vulgatum eſt apud iſtos ſcilicet ſacrorum myſteriorum peritiſsimos antiſtites ad ſecularem (quem contumelioſè vocant) magiſtratum, neque cognitionem, neque etiam ſcientiam ſacrorum pertinere. At qua ob ſecro vel ſacrarum rerum peritia, vel ſingulari doctrinæ fidei eruditione ad Inquiſitorium munus admouentur ipſi de fide, cuius tamen dicuntur patres, deque hæreſibus, quarum dicuntur extirpatores cogniturì, ac demum ſententiam laturi? Idonei ſatis ad id muneris iudicantur, ſi in vtróque iure imperiali videlicet & pontificio ſint doctores. Theologum qualiſcunque illius theologiæ, ab illa de qua dictum fuit, Dominicanorum reiectione, in ea functione nullum vidimus. Quid, ſi etiam ab eo tempore inquiſitorijs legibus cautum ſit, nè quis theologus tribunal illud cōſcēdat? Atqui, quod ad iuris ſecularis prudentiam atti-

net, Inquiſitores ſecularisb⁹ magiſtratib⁹ haud ſunt ſuperiores: iuris verò pontificij vel ſummam eruditionem inficari nō poſſunt ad iudicandum in cauſis fidei tantundem pręſtare auxilij, quantum ſecularis iuris peritia. Qui ergô fieri poterat vt ad iudicandum de religione admoti, omni prorſus ſacrarum literarum cognitione & notia vacui, vno humani iuris pręſidio contenti, amarum in dulce non ponerent, & dulce in amarum, lucem tenebras dicerēt, & tenebras lucem? Hoc eſt, dum fidei ſe patres profitentur, fidem extirpent, errores verò portentoſos alant: filios Dei interimant, ac ſatanę filios foueant: Chriſti ſeruos occidant, antichriſti tamen membra recreent, conſeruent, augeant.

Reſpondebunt hîc nobis, de fidei quidem controuerſiis licet haud iudicare ipſi melius poſsint, quam cæci de coloribus, tamen ob id adhibere ſe in conſilium & conſultationem ejuſmodi cauſarū, theologos ex quorum præſcripto decernāt: in primis vero Dominicanos, quibus ê tota illa ſumma rerum inquiſitoriarum id vnū reliquum videtur, nempe vt ad conſultationes, &

doctri-

doctrinæ qualificationes (quas vocàt) adhibeantur. Atqui, vt hîc nunc non expendamus qua isti theologia instructi ad id muneris accedant, tamen ij ipsi, ob eas causas quas supra breuiter attigimus, ab officio amoti, & ad illud inepti iudicati, an ad illud ipsum iam euaserint aptiores, iudicare non est difficile: præsertim cum veteris acceptæ ignominiæ dolor ex illius tribunalis contemplatione è loco infimo quotidie recrudescens, & ex riualibus in eorum locum suffectis perpetua quędam honoris amissi Zelotypia veteribus animi morbis iã accedit. Ea de re ad ipsosmet Inquisitores prouocamus, quibus nemo melius nouit qualia prætumentis intus vlceris argumenta dare soleant, quoties ad eas graues deliberationes accersuntur: atque ea de causa fortassis alicubi cogitatũ est de eisdem, Inquisitionis foribus in totum prohibẽdis. Sed esto saniores iam isti sint: an ordinarius magistratus ad easdem consultationes eosdem theologos adhibere non posset? Iam iudicem quenquam constituere de rebus quas omnino non intelligat, quare & ex aliorum qualibuscunque iudicijs illum

pendere ſemper, omninò ſit neceſſe, qualis iſthæc eſt iniquitas? qualis iuris omnis peruerſio? Quis igitur iure iam miretur, ſi, quum ſanctam Inquiſitionem in ſuo illo diuino tribunali ſedentem intuemur, dicamus cum Salomone, Vidi in loco judicij ſedere impietatem,& in loco iuſtitiæ iniquitatē? Interea quantum ſibi permittant Inquiſitores in illis eiſdem rebus ob quas, pro hæreticiſsimis, in alios perquā ſeuerè animaduertunt, in ſubiecto exemplo licet intueri. Accidit paucis ab hinc annis Barchinoniæ regni Cathaloniæ vrbe celiberrima, vt quùm in feſto Corporis Chriſti ad circunducendum panem Miſſæ egrediundū eſſet, rebus omnibus ad ſolennē illā pōpā apparatis, ſacerdote, qui tragicā illam magnam Miſſam ſaltauerat, conſecratam hoſtiam in aurea pixide iā iā incluſuro, deprehenſū forte eſt hoſtiam amplioris eſſe orbis quàm quæ in pixide illa poſſet recipi. Hærebant omnes, apparatus omnis conſiſtebat, nemo erat in tam celebri conuentu, cui in eiuſmodi inopinato caſu venjret in mentem, quid facto eſſet opus. Ridiculum profectò, atque ludibrium tanto cœtu

dignum. Vna fortaſsis prudentioribus apparebat ratio ſeſe ex ea difficultate extricandi, videlicet melioribus auſpicijs Miſſam aliam moliri in alio panis orbiculo ad menſuram pixidis prius circumciſo. Atqui ad tam longã pompæ iter ſerò nimis iam erat, neque citra grauem moleſtiam diutius diſtineri ea poterat. Fortaſsis & ex ſacrificis nemo erat qui ad imminentem tantæ pompæ laborem tollerandum largiuſculè non eſſet ientatus. Nam is qui magnam Miſſam cantauerat, (vt cumque ad alteram in caſu neceſsitatis è veſtigio recitandam theologorum ſuffragarentur placita) tamen ablutiones in prima hauſerat (quî enim aliter poſſet?) inopinati euentus improuidus. Aderat Inquiſitor quidam magni nominis Molonius Aragonius. Is moræ impatiens & inquiſitoria authoritate in primis fretus, arreptis forpiculis, & conſecratæ hoſtiæ ad pixidem comparatæ ſuperfluitatẽ, & vniuerſo populo illam hæſitationem præcidit. Laudabunt alij miram hominis in præſenti difficultate induſtriam. Execrabuntur alij impiè temerariam audaciam. Ingemiſcent alij dolebũt-

 que

que per execrabiles Inquiſitoris manus cir cumciſi ac circumſcripti Dei ſui calamita tem. Atqui, bone Deus, ſi quiſpiam non Inquiſitor, & præcipuè ex Iudaica ſtirpe a-licundè oriundus eò audaciæ perueniſſet, quales dediſſet pœnas? Amotus ob illud facinus ab officio Molonius. Sed ne ſtre-nuus alioqui Inquiſitionis miles deperiret, poſt paucos dies rurſus Inquiſitor Hiſpalim fuit miſſus. Papæ verò authoritatē quem-admodum nunc extollant, nunc deprimāt: nunc adorent, nunc contēnant: nunc mor-te in eam peccantium vindicent, nunc illi ipſi, prout ſancti officij commoda vel in-commoda expoſcere videntur, eleuent, læ-dant, violent, quid attinet dicere?

Iſta vero nunc longius perſequi, non eſt conſilium: tantum vt cunque ea attinge re præfationis loco viſum, eſt, vt oſtende-remus quibus initijs, quaue occaſione or-ta fuerit Inquiſitio, quæ ipſius antiquitas, qualis ſanctitas, qualia porrò illa fuerint emolumenta, quæ hactenus ex repurgata ſcilicet religione orbi attulit: Hæc quùm ita ſe habeant quemadmodum à nobis re-citata ſunt, (néque enim quiſquam pro-


bus

bus ea aut inficietur, aut iuſta quapiam ratione vnquam excuſet) mirum videri non debet, ſi populi, alioqui ſuis magiſtratibus hactenus pro officio obſequentiſsimi, pro eiuſmodi dira peſte è ſuis finibus arcenda, quando æquioribus rationibus nō poſſunt, ad arma tandē concurrant. proteſtantur ſe Religionis repurgationem minimè ſubterfugere, quippe quam votis omnibus exoptent: at eam cupiunt, quæ eius nominis ſit digna, nēpè, quæ ex verbi Dei præſcripto, quæ vnica Religionis norma omnibus veræ religionis zelatoribus eſſe debet, ſit petita, ab Inquiſitione ea in parte, præter id quod hactenus præſtitit, quid ſperent? Proteſtantur legitimo ſui magiſtratui debere ſe, & quidem ex ipſo Dei verbo, obedientiam, honorem, & tributum, atque ad id conſueta ſua alacritate præſtandum eſſe paratiſsimos: at citra Dei contumeliã, & miſerrimam conſcientiarum captiuitatē, quæ res viris probis ac pijs quam commendatiſsimæ ac vita ipſa longè chariores eſſe debent, accipi illud obſecrantur. Proteſtantur ſe legitimæ magiſtratus ſui obedientiæ iugũ excutere nullo modo velle:

at leni ac perhumano iugo illi, quod debita animorum æquitate tulêre hactenus, lora ferrea Inquiſitionis nunc adhiberi, quæ non niſi ad cædes innocentum ciuium, & bonorum proſcriptiones animum adijciat, meritò conqueruntur. Culpari fortaſsis poterant olim Aragonij, quòd inquiſitionem pulchra illa ac recēti adhuc ſanctitatis larua perſonatam, neque in omnes promiſcuè, ſed in vnos Iudæos ac Mauros, idque titulis vtique plauſibilibus, ſæuientem non receperint abſque tumultu & cædibus, vt ſupra dictum eſt, at quum per totos ſeptuaginta quinque annos eiuſmodi fructus quales iſthic à nobis recitantur, proferre non ceſſet, omnino inſanire vtique non videntur, qui illam è ſuis finibus abigere conantur, vt poſſunt. Imò inſanire potius iudicarentur, ſi pro fidei patribus, paſtoribus, ac Religionis propagatoribus, fidei & Religionis veros hoſtes, extirpatoreſq; ſæuiſsimos, ſciētes volētes domi vltro admitterent. Qui verò tales eos eſſe ignorāt, detectas hîc aliqua ex parte ipſorū artes rationeſq; procedēdi (qui enim ōnes poſſem⁹?) attētè legāt, expēdantq;, ac poſtea demum iudicent.

INQVISITIO-
NIS HISPANICAE ARTES
ALIQVOT DETECTAE, AC
palam traductæ,

PECVLIARIS RATIO QVAE AB INQVISITORIBVS IN ACcerſendis aut etiam comprehendendis delatis obſeruari ſolet.



N quiſitores accepta de aliquo (quam vocant) denuntiatione, ſeu potius delatione, in rebus vt plurimum, leuioribus, (& ſi nihil propemodũ apud hoc tribunal tàm leue ſit, quod iacturam actis reis impenſè grauem non conficiat) hoc ſtratagemate vti ſolẽt. Submittũt aliquem ex compluribus quos in hoc officium edoctos habent (familiares vocant) qui ipſi dedita opera factus obuius huiuſmodi compoſitis verbis eum alloquatur. Heri caſu

ſui apud dominos Inquiſitores, qui quùm de te quęrerent, aiebant, nonnihil ſibi eſſe negotij, quod tibi vellent communicare, iniunxeruntq; mihi vt ex ipſis tibi renuntiarem, vt cras tali hora eos accedas. Neq; eſt quod acceſſum vel tergi verſetur vel diferat vocatus, niſi maximo ſuo malo velit factum. Igitur inſequenti die denuntiatus accedit, dicitq; ianitori vt dominis patribus ſignificet ſe adeſſe. Quùm primum ipſi reſciſcunt, conueniunt omnes tres, ſi adſint: ſin minus, duo (eſt enim vt plurimũ triumuiratus) in conclaui in quo ſolent eæ cauſę agitari, vt Hiſpali in arce triannia, ſimilibuſq; in locis in alijs ciuitatibus atq; eo poſtea ingredi iuſſo, quærunt ab ipſo quid rei velit? Vocatus reſpondet ſe heſterno die accepiſſe ex ijs mãdatum vt eos cõueniret. Tũ quęrunt, qui vocetur & accepto nomine rurſus interrogant, quid nam velit? nam quod ad nos attinet (inquiunt) an is ſis quem nos adeſſe iuſsimus, neſcimus Vide an quicquam habeas, quod indices in hoc ſancto officio, quouè tuam cõſcientiam exoneres, vel de te ipſo vel de alio quopiam ec. Vocatus ad hęc, aut reſpondet ſe nihil eiuſmodi habere (atq; ita

respondere & ad finē vsq; in eo respōso esse constantem apud eos, qui pręter se indicā-tis, & eorum quos indicet, ruinam, nihil quęrunt, magis salutare ac magis pium consilium sempet fuerit) aut ignorans quibus laqueis sese implicet, de se aut de alio temerè effutit quicquam. Hic domini Inquisitores lęti de captura quam inueniunt, vt eum, qui se ipsis in prędam vltrò imprudens dedit, faciliùs exterreant, menteq; alięnent, contuentur sese inuicem, gesticulantur veluti qui rem deprehenderint, defigunt oculos in indicis faciem, susurrant sibi ad aures nōnihil, aut re vera nihil, tandem decernunt aut vt vocatus maneat in carcere, si res de qua se ipsum detulit, videtur grauis: aut si nihil forte detulit, abire iubent, causantes ignorare se quousq; melius edoceantur, an ipse sit quem iusserint accersiri: Dum hęc examinatio habetur, iam ipsi curârunt, vt qui hunc vocatum detulit, intus sit absconditus sub aulęo quopiam, vnde posit vocatum ex facie recognoscere ab illo non visus, si Inquisitoribus minus fuerit notus.

Denuntiatum (sic enim vocant eum cuius nomen delatum est in hoc consilio

Inquiſitorum) in hunc quem propoſuimus modum abire iubent, certi iam ipſum eſſe qui futuræ tragediæ materiam erit prębiturus, atq; euenit nonnunquam, vt niſi aliquot prius elapſis menſibus eum rurſus nō vocent, prȩcipuè ſi ſit indigena, nanq; aduenæ haud tantum concedunt induciarum. Ergo quū lubet, accerſitum rurſus hortantur, vt ſi quid nouit, aut audiuit, quod ad ſanctum illud tribunal pertineat, illud indicet: eſſe enim ipſis notum aliqua eum ad fidē ſpectantia cum non nullis de fide ſuſpectis tractaſſe: quę ſi ſpontè ipſe fateatur habeat pro certo nihil ſe inde habiturum incommodi: proſpiciat proindē bene rebus ſuis: exiſtimare ſe, vt bonū Chriſtianum decet, in memoriam, quæ eiuſmodi ſibi cō tigerint, ipſum reuocaturum, fieri enim poſſe, (vt memoria hominum eſt labilis,) oblitum eſſe, indicaturumq; quod nouerit, ſi reminiſci contingat. His atq; eiuſmodi compluribus illecebris ſeducunt pleroſq; imprudentes. ſin minus, remittunt eos, ita tamen ne exiſtiment ſe omninò abſolutos, quin potius vt in perpetua animi ſolicitudine ac metu ſint, poſſe fieri vt rurſus accerſantur. Euenit etiam vt cū quopiam ad com-

plures

plures dies, nonnunquam etiam annos dissimulent, antequam ipsum comprehendi iubeant, sed submisso semper vno aut altero ex sibi addictis, qui imprudenti àc nihil insidiarum suspicanti astutè ac circũspectè sit perpetuus ac indiuiduus comes, & vt plurimum, in ipsius amicitiam ac familiaritatem callidè sese insinuet, vt eò liberius posit ipsum quotidie inuisere, subnotare quibus cum agat, quo eat, quid agat, atque etiam quid animo voluat: adeò vt citra speciale quoddam dei auxilium ac Prouidentiam fieri non posit, vt quis eiusmodi tendiculas euadere queat. Si quando accidit, vt ex Inquisitoribus quispiam in eiusmodi remissum alicubi incidat, salutat eum benigne, aperit ei animum, & per humanum vultum ostendit ac offert se amicum, quę omnia humanitatis scilicet officia eò tendunt, vt hominem quóusq; ruina sua eum repentè opprimat, securiorem reddant. Quid ex ista synceris probisq; hominibus detestanda vafritie vtilitatis capiãt, prętereeam voluptatem quam ex ludo cum suo aucupio auceps capit cum quo viuo ludit ac sese oblectat, aut piscator cum eo pisce quem iam hamo fixit cui longius fi-

lum concedit, vt vana ac mox desitura voluptate sub vnda sese oblectet: aut certè catus cum eo mure cui iam ne posſit elabi perfregit lumbos, cũ quo & suauiſsimè sese reficit subinde relinquens liberum, ac mox truculentius quam antea dẽtibus premẽs, prouideri non potest. Atqui fieri potest, vt nobis licet inscijs ars aliqua hic quoq; lateat Sancto officio minimè inutilis. Hunc vero morem ludendi cum præda, eo quo dicimus modo, nequaquam cum omnibus obseruant: delectum maximum personarum ac negotiorum ea in re habent, cuius delectus argumentum esse potest, quòd nèque cum aduenis eam rationẽ tenent, neq; cum eis indigenis quos credunt tanta licentia posse sibi elabi: neq; certè cum eis, qui de rebus grauioribus sunt delati festinatum remedium ipsorum iudicio requirentibus, & præcipuè quum ex eorum confeſsione alios sibi innotescere sperant.

Quûm iam de comprehendendo delato constitutum habent, accersunt eum qui Episcopi diœcesis, supremi scilicet pastoris, vices gerit (Prouisorem aut Vicarium aut ordinariũ porró vocant) cui ostensa informatione (sic vocãt depositionẽ testium)

quam aduersus delatum habent, ac re cum ipso deliberata, omnes simul subscribunt libello quo iubent ipsum comprehendi. Ratio videtur imprimis speciosa: nolunt videri iniecisse manus ouiculę alienę sine sui pastoris approbatione & consensu, qui quum ita sit imperitus officij pastoralis (vt omnes, vt plurimum, eius nominis in papatu sunt) facile in eam sententiam descẽdit, assentiturq; vt ouicula suę curę commissa conuulso prius vellere immaniter deinde excarnificetur. Lites hactenus visę sunt nullę inter Inquisitores & Prouisorem, alijs ad supplicium quẽquam postulantibus, altero commissum suę fidei pie defendente, & si haud pauci visi sunt videnturq; quotidie, quibus post longam ex diuturno carcere macerationẽ, post mẽbra atq; artus omneis in prędurls & plusquam inhumanis illis quęstionibus è suis compagibus auulsos, nonnulli etiam qui in ipsis tormẽtis inter tortorũ manus expirârint (quemadmodum suo in loco non tacebimus) innocentię testimonium prębeant ipsi Inquisitores tanquam iniuria captis affectisq;. Hinc liquido apparet accersitum ad deliberationem de capienda oue sua Prouiso-

rem friuolam potius ab vtraq; parte ceremoniam extitiſſe, quam rem ſeriò atq; ex ęquitate factam: neq; ſi dixerimus, inuitari eum ad conuiuium ex ſanguine ſuæ ouiculę apparatum vt lupum lupis cōcordem portionem ſuam accepturum, haud aliter dixerimus, quam res habet. Adueniat iam Princeps ille paſtorum & rependat cuiq; iuxta opera ſua. Euenit etiam multoties vt hæc ceremonia accerſiti ad deliberationem Prouiſoris, ante captum denuntiatum non fiat. Quum enim compertum ſit, nihil ipſum dicturum contra, ſatis iudicant ſi denuntiato iam in vinculis coniecto proceſſum cauſæ paſtori oſtendant, quo coram lecto liberaliter ille approbet factum atq; efficiendum.

Si forte euenit, vt quiſquam denuntiatus comprehenſionem fuga præuertat, aut ex ipſis vinculis elabatur, hic adhibent argutias imò verſutias ad eum inueniendum reducendumq; mirabiles. Neq; enim ijs, qui ad ipſum inueſtigandum mittuntur, communia ſigna dicto dare, veluti veſtes, habitum corporis, oris lineamenta ętatem &c. quibus fugitiuus agnoſci poſsit, ſatis habent, verum etiam effigiem abſentis

quã fieri poteſt accuratiſsimè ad viuumq; elaboratum in compluribus linteolis depingi curant, atq; eas effigies inter inueſtigatores diſtribuunt, quibus inuentum facilè agnoſcant, quem fortaſsis viderũt nunquam. Illuſtrabit eiuſmodi ſolertiam exẽplum ſequens.

Comprehenderunt non multis ab hinc diebus Italum quẽdam Hiſpali, qui Romæ inflixerat vulnus cuidam Inquiſitionis apparitori (alguazilium Inquiſitorium vulgo vocant.) Familiares, qui ad eum perquirẽdum fuerant miſsi, etſi illius effigiem, pro more, habebant ſecum, tamen quùm in ipſum Hiſpali incidiſſent, non ſatis certi an ipſe eſſet, præſertim cũ iam ipſe & veſtitum & nomen ſtudioſè commutaſſet, eum ipſum quẽ ex effigie eſſe ſuſpicabantur, diu incerti perſequebãtur. Igitur eum in ſumo Hiſpalis templo cum alijs colloquentem & deambulantem nouo & familiarium ſpirituũ digno aſtu aggrediuntur. Accedunt ad eum duo aut tres, illoquè verſo ad eos tergo deambulationẽ repetente, alter ex ipſis inclamat ſubito vetere eum nomine a tergo compellans. Ille vt in colloquio inſtituto erat totus, neq; quicquam tale ſuſpi-

cabatur, ex improuiſo vertit faciem, reſpondetq; ad vetus nomen: continuò eſt ab ipſis inſidiantibus comprehenſus, quibus nullum iam reliquerat locum amplius dubitandi. Exegit in vinculis Inquiſitorijs complures dies, ac demum poſt diuturnos carceres verberatus publicè, & ad tranſtra in perpetuam ſeruitutem relegatus, nō tam vulnerati alguazilij Inquiſitorij, quam incuriæ ac imprudentiæ ſuæ pœnas dedit.

Quamuis hæc ſtratagemata per acuta ſint, & quæ nulla humana prudentia præcaueri poſſe videantur, non erit extra rem ſi alio ſingulari exemplo oſtenderimus quo pacto illos ſæpè Deus infatuet, cōmuniens ſubinde ſuos ſancta quadam verſutia qua eos eludant. Altero ab hinc anno euaſit è carcere Inquiſitoria Valleoletana Belga quidam, qui ob Euangelij profeſsionem captus, multos dies in vinculis illis exegerat. Egreſsi ſunt ad eum inquirendum pro more, venatores illi familiares. Paucis indè leucis aſſequuntur hominem ac comprehendunt media in via. Belga affirmat conſtanter ſe non eſſe eum quem illi quærunt, neq; propterea familiares deſiſtunt, quin vi & vinculis adhibitis eum ceperunt

redu-

reducere contrà affirmantes eum esse: neq;
dubij sed asseuerãter nõne tu es (inquiunt)
qui octo abhinc dieb9 elapsus es è carcere
Inquisitiõis Valleoletanę? Ille sereno vultu
Animaduertite (inquit) melius, nam is ego
non sum, quin è Legione nunc primum venio, vbi per complures dies opificio meo
dedi operam: & vt certò sciatis ita esse, legitote hoc testimonium quod ea de re mecum adfero. Et statim producto scripto
quodam, illis offert legendum: quo lecto
continuò adhibent fidem homini, eùmq;
liberum dimittunt non sinè pudore, quod
in eo pro altero comprehendendo vt sibi
quidem videbatur, pueriliter errauissent.
Atqui de testimonio quo oportunè liberatus est, ita res habet. Post eius è carcere egressum, dum haud segniter itineri se dediderat, in ipso itinere fortè incidit in quendam conterraneum suum sibi anteanotum,
qui veniebat è Legione vrbe Hispaniæ. Is
rebus suis ita exigentibus testimonium illud sibi dari curârat. Quod cùm vtròq;
nesciente, vt huic è tanto periculo eripiendo inseruiret, arcano prouidentiæ suæ decreto Deus constituisset, commisso ad afferendum illi suo testimonio, alter biduo an-

te abceſſerat, quo ſycophantas illos opportunè neq; minus lepidè deluſit, ac tandem ſeruatus eſt.

Solent ſpiritus iſti familiares in inueſtigandis fugitiuis alia quàq; diligētia vti. Etenim ex illis alij inſequētur aut quę iam inuenerunt veſtigia abeuntis, aut illud porro iter quod ſagaciſsimo ipſorum iudicio videtur tenere abeuntem poſſe. Alij (ſiquidem vel ad muſcam vnam quæ ex Inquiſitione aufugiat cōquirendā complures ſolēt deputari) in ipſis itineribus excubant noctu inſidiantes, quin pro comperto habent noctu potius quam die fugientem iter facturum. Aduerſus hanc diligentiam inſtruet Deus eum quem volent eripere. Atq; hæc de comprehenſione: nunc ad ea quę ſecundum comprehenſionē & incarcerationem fieri conſueuerunt.

BONORVM SEQVESTRATIO, ſequeſtrum vulgo dictum.

Com-



Ompreh ẽſo per alguazilium aut per familiares delato, ſtatim petunt atq; auferunt ei arcarum aut ſcriniorũ, ſiqua habet, claues õnes: mittunq; notarium aliquem cum aliquibus ex familiaribus & ipſo alguazilio, qui bona omnia quę domi habet, qualiacunq; illa fuerint, in rationes redigat: quo diligẽter peracto, ea omnia quæ inuenerunt, deponunt apud aliquem ex vicinia diuitem aſſeruanda, qui rationem eorum omnium, quum à ſe expetant, reddere bona fide pollicetur. In hoc, quod vocant, ſequeſtro, imprimis eſt opus vt ij quorum res agitur, ab illorum manibus qui ſequeſtro interſunt & per quos fit, oculos non auertant, ac tum præcipuè vbi pecunia, aurea, argenteáue monilia, aut res deniq; aliçuius pretij quę facile occultari poſſunt, in eiuſmodi rationes erunt redigendæ: nam adhęreſcit iſtis nõnihil ſæpè eiuſmodi rerum, vbi ea deeſt obſeruandi diligentia. Conſtat enim vt plurimum hic ordo familiarium ex lenonibus, furibus, rapaci

paci

paci demum ac nequam hominũ genere, qui ex rapto viuere aſueti manibus temperare neq; poſſunt nèq; volunt. Accedit ad hoc, quod in aliena omninò iam bona & ad quæ ius aliquid ipſi non habeãt, haud ſe ſubmiſſuros manus arbitrantur.

Supereſt vt paucis indicemus in quem finem hoc ſequeſtrum bonorũ fiat. Is eſt vt ſi forte contigerit captum damnari amiſſione bonorum, aut aliqua ipſorum portione in fiſcum, nihil, ne ſcutella quidem ſancto officio pereat. Nèq; enim obſcurũ eſt prædam atq; exuuias miſerorũ ab ipſis in toto negotio quæri: *Alioqui quid patribus fidei, pietatis unius zelatoribus cum eorum opibus quos in uiam ſe uelle reducere profitentur? aut quis ita inſaniat, ut error in fide mulctatione fortunarum corrigi poſſe credat?* Neq; interea Chriſtianis hominibus indecorum quoque eſt, propter confeſsionem Chriſti, fortunis omnibus atq; ipſis demum veſtibus exui ab hoſtibus, quandò cum ipſorum Domino, cuius membra ſunt, & cuius veritatem profitentur, ſic actum eſt, vt poſt abreptam crudeliter vitã, in veſtes, eaſq; haud magni pretij, forte etiam vſu attritas decreuerunt ſortiendum.

Sacri-

Sacrilegium istud communi theologorum, monachorum videlicet ac clericorum voto, iam est adeò sanctificatum, vt omni pudore deterso predicent ac doceāt, eum qui Papæ doctrinæ quoquo modo non consentiat, aut aliquando ab ea dissentierit, eo ipso facto teneri in conscientia (vt ipsi loquuntur) fortunas suas omneis in fiscum regium deferre, cui eas omnes debeat, ac si illas antea furto inde abstulisset. Ratio est (inquiunt) quoniam eo ipso quod ab Ecclesiæ Romanæ doctrina recessit, illegitimum se suarum fortunarum possessorem, regem vero legitimum, cui Papa eas adiudicauit, constituit. Quare & illas ex integro ei restituere tenetur, etsi de ipsius negotio Inquisitio nihil vnquam sciuerit. Adhunc modum hac vna astutissimorum aucupum tendicula, & regibus imprimis fiunt quam gratissimi, & conscientias & crumenas miseri ac stupidi populi pro lucerna eos habentis, eadem opera irretiunt.

Vt verò ad institutum redeamus, quam primùm ingressus est captiuus primam carceris ianuam, carceris custos cum notario petit ab eo an habeat secum cultrum ali-

aliquem, aut pecuniam, anulumué, aut monile aliquod pretiosum. Quod si est mulier, habeatq; pensilem a zona capsulam paruorum cultrorum, anulos, murænulas, armillas, aut quicquam huiusmodi muliebrium ornamentorum, eam ijs omnibus exuunt, ac vt plurimum, cedunt in prædam auferentibus. Hoc fit ne quicquam captiuus in sua captiuitate habeat, quo vllo modo subleuari possit. Scrutantur etiam, si fortè secum inferat occultè scriptum aut libellum aliquem, aut quidquam eiusmodi. Vbi verò carcerem est ingressus occluditur in cellula aliqua ex multis, per angusta, nidore & tenebris sepulchro non absimili, nonnulli incarcerantur soli ad octo aut quindecim dies, alij per aliquot menses, alij perpetuò: nonullis ex primo captiuitatis die dant socios, prout dominis inquisitoribus ex ipsorum artibus videtur magis expedire.

AVDIENTIAE MVLTIPLICES.

Exacta



Xacta à captiuitate vna aut altera ſeptimana, Inquiſitores ſubmittunt ex compoſito cuſtodē carceris, qui veluti ex ſe ſuadeat vincto vt audientiam petat, quod ſuo quodam miſterio carere, vinctum ſcilicet actionem primum incipere, minimè credendum eſt. Igitur cuſtos carceris hora prandij aut alio tempore commodiore ad id expediēdum, vinctum adit, commixtiſq; aliunde ſermonibus, eò rem deducit, vt àb eo quærat, qui fiat quód vt maturè expediatur ipſius negotium, non petat ſibi audientiam dari? Itaq; conſulit vt quám primum petat, monetq; fore vt cauſam ſuam hoc pacto non mediocriter ſubleuet, ac demum negotium ſuum in non malum finem citius perducatur: ſe amicitia cum ipſo iam conciliata, cogi ad eum ſalubriter commonefaciendum ſui commodi, polliceríq; in poſterum fidelem & amicā operam. Piè credi poteſt ſi vinctus recuſet audientiam petere, expectétq; quoúſq; ab ipſis Inquiſitoribus

vocetur, fore aliquanto causæ suæ vtilius, si tamen misero iam feris belluis in prædam dato aliquid superest vtilitatis. Hoc certè, si aliud nihil, ex hac expectatione obueniet, vt ipsi actionem incipientes vincto nulla alia cura sit quam ipsorum oppositionibus respondendi. Atqui quum arcanum mysterium est, iudicium penes prudentius coniectantes esto.

Vinctus earum artium imperitus vt plurimum ea in re consilium custodis sequitur, quem salutaria sibi monuisse credit, oratq; eũ, vt in petenda audiẽtia vices ipsius gerat. Cuius statim petitioni Inquisitor assentitur. Vinctum igitur ad tribunal ingressum Inquisitor ea incuria ac si nihil omninò sciret, alloquitur ferè in hunc modum: Custos carceris h c venit, dicítq; te audientiam petere: quid igitur vis? Vinctus respondet, se cupere vt de negotio ipsius cognoscatur. Et si parum cautus esse contigerit, incipit fateri nõnulla de quibus existimat se fuisse delatum tædio carceris, & metu eius quod in posterum ominatur, ad id adactus. Id patribus est mirum in modum gratum, quãdo hac vice & alijs postea compluribus in hũc finem solent ipsi vin-

ctis audientiam concedere, ac ſubinde eos ad tribunal accerſire, antequam integræ ipſorum accuſationis ac teſtimoniorum teſtium ipſis fiat copia *(quæ legitimo iuris ordine prima actio eſſe debuerat)* vt ſcilicet reus ex ſe aliquid effutiat quod ipſis nondum eſt notum. Admonent, vt fateatur ex ſe, pollicentúrq; ſi errata ſua ſponte agnoſcat, continuò remiſſum iri domum ſuam, breuiq; de ſuo negotio conſtitutum iri, ſeq; vſuros erga ipſum multa miſericordia. Verùm ſi (quod ſalubrius eſt) ad omnes has inanes & fraude plenas pollicitationes abſtinatè tacet, commonefaciunt eum ſeriò vt conſcientiam ſuam exoneret & tum demum audientiam petat, quùm fateri vltrò conſtituerit: eos interea ipſius negotium diſpecturos: ac ſic eum in carcerem remittunt.

Poſt ſex aut octo deinde dies aut plures, vt ipſis videtur, adeſſe iubent eum rurſus, ac quærunt, an aliquid fateri ſtatuerit. Vinctus aut ſe nihil habere, inſontemq; eſſe reſpondet, aut fatetur fortè aliquid. Quicquid ipſe reſpondeat, illi veterem commonefactionem repetunt, vt ſuam conſcientiam velit exonerare ipſos enim nihil præ-

ter ipſius commodum & ſalutem quærere, miſericordia videlicet in ipſum admodum propenſos. quam lenitatem ſi ipſe contemnat, futurum vt ius acrius experiatur accuſante Fiſcale, ac ſic rurſus in carcerem mittunt. Fiſcalem vocant eum qui acceptis à delatoribus accuſationibus, in totius cauſæ tractatione ex officio actorē agit, haud dubiè ſic dictus, quod fiſco imprimis conſulat, operamq; illi ſuam locatam habeat.

Tertia porrò audientia (ſic enim vocamus ex notis ac vſitatis iam nominibus iuridicas actiones) accerſito reo, quærunt ab ipſo ecquid ſecum conſtituerit, ac iterata ſæpius vetere cautione efflagitant, vt rei veteritatem vltrò exponat: ſin minus, acturos ſe quod è iure fuerit (intelligunt hoc loco iuris nomine, torquere truculenter & excarnificare homines vel iuxta eorum ipſorum leges nihil eiuſmodi commeritos) pro certò ſibi ſtatuat ſanctum illud tribunal nemini facere iniuriam, neq; quenquam vnquam comprehendere niſi ſufficienter edoctum etc. Si vinctus aperit quicquam, adhuc fingunt ſibi non eſſe ſatiſfactū, ſeq; exiſtimare multa eum conſulto celare, ſicq; illum ad ſuum carcerem remittunt

diduc-

diducto eò amplius vulnere, audientijſque poſtea multiplicatis, quò eum paulatim plura exponere animaduertunt. Verum ſi delatus conſtanti animo reſpondeat, nihil ſibi eſſe negotij quod eo in loco declaret, mutata arte eum noua adoriuntur ſtropha, iuramentum ab eo expetentes, ad quod obtendunt idolum quoddam, cruxifixum referens atro velo ad incutiendā religionem coopertū, atq; alia neſcio quæ idola, librū item miſſaticum ſeu Miſſale: nonnunquam ſimplicem aliquam crucis imaginem, nam has ſtrophas nugamentaq; mera aut multiplicant aut mittunt, prout intelligunt expedire, habita hominis quo cum ipſis negotium eſt, ratione. Hic eſt veluti coactus quidam viæ paſſus homini Chriſtiano, in quo fidei ſuæ perſpicua atq; abſoluta confeſsio illi neceſſariò edēda eſt. Namq; ſi accuſatus verè fidelis fuerit, abominatuſq; fuerit ex animo idololatriam, illius vnius Fortis, Zelotis obtentu, qui in ſacroſancta ſua lege hanc gloriam per ſe iurandi ſibi vni reſeruauit, cauebit vtiq;, ne vilisſimis idolis ligneis aut ferreis eam impertiat, quæ quo ſublimiorum rerum imagine veſtiuntur, eò coram Dei atq; Eccleſiæ ipſius

oculis sunt abominabiliora. Itaq; cauebit pius ab eiusmodi nefario atq; impio iuramento, etsi alioqui per membra illic fuerit dissecandus, quando idola sunt reuera, non Deus, cui in solidum hic debetur honos, neque inficiari illud poterũt ipsi Inquisitores. Accepto à vincto iuramento, ejusmodi quæstionibus eum examinare incipiũt. Cuias sit: è quo regno, è quo archiepiscopatu aut episcopatu: è qua vrbe, oppido, aut vico: ex quibus auis, proauisque prognatus: qui vocabantur: ecquos habeat fratres aut sorores: quos demum habuerit parentes, & quæ eorum nomina, quæ officia, vitæque rationes? An ipse aut è suo gentilitio quisquam, Inquisitionis censuram aliquando, & quibus de causis subierit. Quotennis sit; quos dixerit ætatis annos se habere, vbi gẽtium, quibusq; exerticijs, quibus porro personis conuiuens exegerit? cogiturq; hîc vitæ suæ totius per annos ac loca singula in quibus commoratus est, exactam rationem reddere: ex ijs enim singulis argumenta desumunt haud leuia, quibus miseri hominis causam postea impensè grauant. Accepto ad hæc parerga responso, repetunt veterem commonefactionem nunc blanditijs,

nunc

nunc comminationibus adhibitis suadentes vt veritatem scilicet vltrò dicat, pro certo sibi persuadens, eos neminem vnquam comprehendi iubere absq; iusta causa, testimonijsq; sufficientibus, atq; ita aut confessum aut secùs ad carcerem remittunt.

In tribus istis prioribus audientijs multi aut spe allecti promissionum, quibus eos studiose onerant, eos in domos suas remittendi quàm primùm quod ab ipsis quæritur, fateantur: aut ingenti porrò correpti metu, quem ex sæuis cõminationibus cõceperunt, pleraq; indicanr, quæ inquisitores omninò latebant, eos nemine de rebus illis antea deferente, se ab eis delatos existimantes, quibuscum de eisdem rebus egerunt aliquando. Eo modo, dum sua imprudentes propalant, alios quoq;, qui eiusmodi nihil fortasse metuebant, de quibus antea nihil patres acceperant, calamitate sua inuoluunt: quum præsertim intelligere iam cœperint, sanctissimis patribus nouis subinde prædis inhiantibus quàm gratissimum id fore, quorum gratiam, quacunq; demum ratione, modo ipsi ex ea calamitate liberentur, promereri student. Ita fit, vt ipsi sæpe vincti leuissimis de causis primũ

capti & se & complures alios perdant falsis Inquisitorum promissis & blanditijs habentes fidem, ignorantesq́3, túm quam rationem in rebus suis tenere debeant, túm maximè quo loco ab eis patres illi habendi sint, id est, non patrum, (vt ad totius humanitatis & pietatis ludibrium ipsi se appellari volunt) sed hostium im̃anissimorum, qui vafritie, dolis, mendacijs atq3 omnis generis fraudibus, & vitæ & fortunis & nocentum pariter & innocentum insidientur. Aduersus has omnes pedicas vnicum superest remedium, videlicet, vt is qui Fato suo hoc est Dei Prouidentia, in ipsorum manus inciderit, Primùm *nè eis quantumuis ingẽtia pollicentibus quicquam credat, timeatuè uel extrema quæq; comminantes, illius & timorem & amorem ab oculos semper habens, qui postquam occiderit corpus, & mittendi animam in gehennam potestatem habet.* Is *& capillorum nostrorum omnium numerum exactè tenens, eorum nullum citra ipsius optimam certè erga suos uoluntatem in terram decidere patietur.* Alterum *erit, ut linguam constantissimè cohibeat, nèq; quicquam respondeat, quoùsq; & accusationis suæ & depositionis testium, quibus recto iuris ordine tenetur respondere, sibi fiat copia.*

In quarta porro audientia rursus expe-

titur

titur à reo iuramentum pergrauibus cõteſtationibus adhibitis, vt vltrò exponat qđ nouerit, ſin minus, fore vt ex iure ſecum fiat, fiſcale aduerſus eum accuſationem intendente &c. Si conſtanter adhuc āffirmat, ſe habere nihil vltrà quod exponat, tum demùm proponunt illi ex ſcripto accuſationem, eam verò compluribus atq; cõfictis grauaminibus plenam, quæ neq; reo ipſi vnquam venerunt in mentem, neq; illum quiſquam de eis rebus apud Inquiſitores vnquam detulit: ſiquidem eſt vera & germana ars Inquiſitoria ſanctorum patrum fidei ſcilicet, ex ſuo penu hæc grauamina, ſeu flagitia potius, confingere in hos prȩcipuè fines: primum vt multitudine ac grauitate criminum confictorum obruentes miſerum hominem, attonitum reddant, ac ſui ipſius impos, neſciat vbi ſit, aut quo ſe vertat, quidúe reſpondeat: Dein, vt tentent, ſi forte accuſatus, ex intentatis criminibus quodpiam admittat, aut ſaltem ſi de illorum quopiam poſsint cum eo verba cõſerere, vnde in naſſam trahi poſsit. An hoc eſt imitari iudicium Dei, cuius cauſam Patres fidei agere àpud miſerè imperitum vulgus iactant, in ipſo præſertim ſpectaculi ac

triumphi veſtibulo, in quo innocẽtes ſup-plicijs mox afficiendos exhibent, impudẽtiſsimè ac planè irriſorie canentes, Exurge Deus, iudica cauſam tuam? An iſtæ artes ex fide, cuius patres appellari volunt, progignũtur? An veri fidei patres eas aliquãdo docuerunt, eiſué vſi fuerunt? An rationes germanæ hę ſunt reducendi in viam eum qui à fide & Dei verbo imprudens aberrauerit, edocendi ignorantem, corrigẽdi eum qui pro humana conditione deliquerit? An vero ſint potius Satanę laquei, qui in frequenti vſu calũniatoribus ac diabolicis hominibus ſemper fuerint, in occulto tenſi ad ſupplantandum pauperem, offendicula captioſa & maligna arte ex profeſſo compoſita, ad quæ impingat, ac demùm ſeſe excerebret, qui incautus & communi ſimplicitate minus vitæ ſuæ proſpiciens illàc pertranſierit? Quis enim exiſtimet ſanctos patres eiuſmodi ſtruendis muſcipulis operam dare? Atque quot miſeri in hoſce laqueos inciderint, ibiq; & corporum & animarum forte iacturã fecerint, deteſtãdo actu ac opera iſtorum artificũ iniquitatis & violentiæ, illius Inquiſitoris verè Catholici tribunal, Christi, aliquando manifeſtabit.

Prio-

Priora ex illis grauaminibus ſolẽt eſſe communia omnibus ferè, qui in hoc ſãcto tribunali in id diſcriminis veniũt. Sic habent. Quòd baptizatus quùm eſſet, filiuſq; ſubiectionis Romanæ Eccleſiæ, ipſius profeſsione deſerta, ad lutheranam ſectam trãſierit, eius hæreſis errores admittendo, ac recipiendo: neq; contentus ſe hæreticum eſſe, alios quoq; effecerit hæreticos docendo ac dogmatizando &c. In hunc ferè ſenſum addũt turgida complurima atq; ampullosa verba, quibus terrorem incutiant ſimplicibus. Hoc primum grauamen alia pleràq; ſequuntur aliquando maioris, aliquãdo minoris ponderis, quibus ex compoſito illud interſerunt, de quo delatus fuit accuſatus, aut eam ſuſpicionem, quæ de ipſo fuerit à quoquam concepta, eamq; non ſuſpicionis nomine, ſed affirmati & conteſtati facti, in hoc enim ſanctiſsimo tribunali omnia quæ expediunt, licent.

Accuſatus tùm reſpondet ad obiecta ſibi grauamina ſigillatim, aut fatendo aut diffitendo, vt commodius poteſt, quo verba præeunte, ſcriba illa ſcripto exipit. Ac

cepta

cepta ex eo hac extemporanea ac tumultuaria minusq; accurata confessione, offerunt illi papyrum & atramentum, vt si velit, scripto sibi liceat respondere. Consiliũ eorum hîc est, vt ostendant se nihil prætermittere quo commodius ampliúsq; possit reus innocentiam suam declarare ac tueri: atqui sub hoc æquitatis specioso prætextu latet ars Inquisitoria, ea est vt accepta iam ab ipsis ex rei ore, vocali & præsenti confessione, alteram addat accuratiori diligentia compositam, in qua facilè sit discrimen aliquod à priore inuenire, quam vtiq; coram se neq; habet, neq; verborum õnium, quæ in ea aut dixit, aut exciderunt, metu præsertim consternato, reminisci potest. Si hoc non, saltem aut multa aut aliqua priori addat. Expedit porro ipsis habere, vnde eas quas desiderant contradictiones sua peculiari dialectica inuenire posint, nouo atque accurato rei scripto, ãpliorẽ nouis calũnijs materiã suppeditãte. Huic technæ prudenter ac salubriter qui velit occurrere, ex tempore ac impræmeditato ibi respondebit nihil: sed ad omnia alia pisce mutior præcisis ac numeratis verbis petet, dari sibi accusationis exemplar, atramentumq;

& papirum, tempus etiam, quo per otium atq3 maturam deliberationem ad obiecta ſibi poſsit reſpondere. Et quoniã ipſi haud dubié eo reſponſo ſatisfactum ſibi non putabunt, conabunturq3 vtrumq3 reſponſum adipiſci in eos quos expoſuimus fines, oportebit reſpõdentem ſeriò apud ſe eſſe, vt hoc laconico reſponſò conatus eorum infringat: neq3 quantumuis quęrant ab ipſo, & requirãt, vigéantq3 Inquiſitoria ſua, tum grauitate tum improbitatè, ab illo breuiſſimo conciſóq3 reſponſo ſe auelli ſinat. Et ſi reſponſum illud, quod diximus, extemporaneum vehementer percupiant iſti patres captatores, ſcriptum tamen faciunt maximi, ab hominibus præcipuè literatis, quos perpetua propemodum experientia norũt eius eſſe genij, vt dum errorem, eorum iudicio, vnũ aut alterum, ſæpe etiã haud magni momenti, defendere aut interpretari contendunt, complures alios annectere ſoleant, aut ſaltem, dùm ex ipſorum literario penu multa depromant , multam etiam materiam captioſis hominibus ſuppeditẽt calumniandi . Itaq3 accidit ſæpénumero vt eiuſmodi viri docti vel leuiſsimis de cauſis in illud barathum primum incidentes,

1121.151

com-

compluribus eiſdemq; grauiſsimis poſtea titulis onerati indè exierint vel ad incendium, vel ad paulò tolerabiliorem triumphi pompam, ex qua, quod ſupererat vitæ, in perpetuis pudoris tenebris fuerit traducendum, id quod exemplis compluribus poſſemus comprobare, niſi ex commentarijs de artibus Inquiſitorijs iuſtam contexere hiſtoriam vereremur. Igitur eo in loco oportunè ſapiet, qui ex matura deliberatione ſuccinctè ac reſolutoriè reſponderit, Chriſtiana prudentia conſultrice, quæ neq; lymphata aut euirata veritate conſcientiam lædat, nèq; longa nimis reſponſione anſam præbeat aduerſarijs nouos laqueos ſibi induendi, id quod ipſi ex reſpōſo ſcripto haud dubiè captant. Operæpretium etiam erit, ſi quando ex ipſorum canonibus aut ſententiarijs theologis (quos vocant) reſpondens ſua poterit confirmare. Tum enim nèq; veritas omittet quicquā de ſuo, & reſponſum haud tam facilè patebit calumnijs, aduerſarijs quoq; armis propugnatum. Quùm quis ſcripto aut voce fatetur eis quippiam ipſis apertè hæreticum, hanc orationem ſolent obſeruare. Ex ea ſententia deducunt illi alias bona de-

ducti-

ductione aut ſecus: eumq; ex ſingulis ſpeciatim ita grauant, ac ſi eas etiam ſpeciatim aſſeruiſſet, docuiſſétue, & ſi illas accuſatus néq; protulerit vnquam, néq; concedat, néq; etiam intelligat. Vt verò res exēplo fiat clarior, vnum adducemus quod paucis ab hinc annis Hiſpali accidit: neq; enim confictis exemplis opus eſt in re ſingulis propemodum diebus in ſancto illo tribunali magno cum diſpendio ſimplicium preſertim ac rudium vſitata. Vocatus venit ad Inquiſitionem Hiſpalenſem quidam, quòd in conſeſſu familiarium amicorum dixiſſet, præter Chriſti ſanguinem, qui ſuos quotidié ab ipſorum peccatis eo abluit purgatq;, nullum ſe aliud purgatorium agnoſcere. Erat hic homo ſimplex, ruri perpetuò addictus, abſq; ulla deniq; cultiore inſtitutione. Illud à quibuſdam ſuis fortaſſè coniuratis ſemel audiérat, neque diſplicuerat. Quùm coram patribus fidei ſiſteretur, fatetur, ſe quidem eius fuiſſe ſententiæ: ſed quando ſuis reuerentijs non probetur, eam ſe libenter reuocare. verùm quid tibi miſelle profuit hæc tā preceps & repentina palinodia? Dum rem es faſſus, illos incendiſti, ſi tacuiſſes inſtigaſſes; ſi te purgaſſes deniq;, laterem lauiſſes.

fidèi ac veritatis ipſius extirpatores ſeſe profitentur, illi ipſi (inquam) ſunt eo, quem diximus, modo eiuſdem veritatis concionatores, doctores, propagatotes. Id clariſſimis multorũ exẽplis eſt compertũ, qui in ipſorum manus inciderunt, complurium rerum ad ipſorum ſalutem pertinentium ignari tantum videlicet quòd temerè potius quàm certo conſilio garrierint, non eſſe Purgatorium, vel quid ſimile, ipſorum verò Inquiſitorum quæſtionibus, conſequentijs, inductionibus congruè minuſuè deductis, egreſsi ſunt inſigniter inſtituti, cuius rei vel is ipſe ruſticus de quo iam diximus luculentum exemplum eſſe poſsit.

Solent hîc etiam (hoc eſt quùm à reò aliquid ipſis eſt conceſſum) nouum laqueum tendere periculoſum ſatis. Petunt ab eo, à quo nam illud, quicquid eſt didicit, audiuit, aut ſi forte legerit, in quo libro? Item, an cum alijs ea de re contulerit, docueritue alios aut quouis alio modo alijs præſentibus ea de re verba fecerit? In quo loco. *Quibus præſẽtibus: illos enim õnes, qui uel inuiti audierũt, quòd authorẽ continuò ad Inquiſitores nõ detulerint, etiã ſi parẽtes ſint, uel arctiore naturæ uinculo deuincti, ingens periculum manet, ueniuntq; Inquiſito*

 ſito

ſitoribus in non dubiam prædam. Hæc omnia ſcire expedit, vt quid ad eiuſmodi quęſtiones reſpondere quiſq; debeat, nè & ſe & alios in ſontes ſua imprudentia perdat, ſi fortè in hos laqueos, Deo ita diſponente, incidere contigerit, ex ipſius lege & voluntate antea ſit præuentus atq; edoctus.

Accuſatione demùm propoſita, ſi reus adhuc ſit pupillus (quem ætate minorem vocant) in hac eadem audientia proſpiciunt illi de patrono (procurator aut curator ipſis dici ſolet) Pium certè ſtudium, ſi is ad id officij diligeretur, qui partes ſuas ſtrenuè & pro officio eſſet obiturus. Atqui is haud eſt, quem pupillus petit, aut quo maximè ipſi erat opus, vt ipſius cauſæ melius eſſet proſpectum: ſed quem diligunt ipſi, qui aut ſit lupus aduerſus ouiculam cæteris de nouo additus, aut ſaltem qui nihil aliud agat, quā vt præferat frigida ceremonia Patroni nomē, qua vna iuri ſiat ſatis. Vt plurimū hoc officij cedit Ianitori Inquiſitoriæ domus: ex ipſius autē defectu cuiuis alteri eius officinæ famulo: nāq; præterquā quod perſonam ac nomen curatoris ſuſtinet, cum habeat in officio quod agat nihil, ſanè curator mulæ domini Inquiſitoris nulla mo-

molestia potest vel vinctorum simulomniū qui sunt in carcere, curatorem agere: Ianitor quoq3, neq3 ob id omnibus fores pulsātibus in tempore respondere desinet. Videlicet sic obseruant humana atq3 diuina iura sancti isti patres vel erga pupillos, tātoperę ex lege Dei & humanitate ipsa omnibus hominibus, sed precipuè iudicibus, commendatos.

Neq; consistunt in eo irrisionis iuris gradu. Eâdem quippe ratione alteri iuris atq; æquitatis parti haud leuioris momenti, prospiciendi scilicet de aduocato iurisperito reis omnibus, qui eorum causam atq; ius ad legum & æquitatis ipsius normam prudēter dirigat, eorum innocentiam, si qua est tueatur: si non est, iura saltem mitiget, nè in summam euadant iniuriam: huic inquam iuris parti tanti momenti, & quod unum inter homines confugium miserè afflictis superesse uidebatur, eadem, qua superius de pupillorum curatore, frigida tantum ceremonia satisfaciunt: nisi quòd ut res est grauissima, ita quóq; cōtegere hîc impietatem atq; contemptum legum, ác uideri paulo humaniores student specioso aliquo prætextu. Nominăt reo tres aut quatuor ex celebrioribus, iuris peritos ut ex his eligat sibi quē uoluerit, qui causæ suæ patrocinetur. Nèq; ea humanitate cōtenti, cōsulūt (ex animo uidelicet paterno) ut talē, quē pro doctiore ipsi habēt, dedi-

deligat. Ecquid hîc desideremus? Atqui cauebit sibi delectus aduocatus quicunq; aut qualiscunq; ille sit, nè reum, cuius suscepit curam, alicuius puncti iuris commonefaciat, quo ipsius causa subleuari quoquo modo posit. Nouit enim quod si id Inquisitores quacunq; ratione resciuerint, haud habiturum sibi impune: quando re vera hîc non prospicitur reo de aduocato, vt causa ipsius defensorem habeat, (vnde néq; licet aduocato aut reo ipsi clam simul communicare aut colloqui vlla de re, nisi præsentibus dominis Inquisitoribus & scriba) sed vt vulgus potius existimet, cùm aduersus omne ius tam diuinum quàm humanum res suas agant, iuridicè agere ipsos, atq; qua decet tātos patres, æquitate vti. Quid igitur aduocatus? Accipit (vt mox dicamus) à reo rudem ac minimè cultam responsionem ad accusationem, atq; illam in iuridicas dicendi formas transfusam (plærumq; etiam deformatam) in ordinem iuridicum cogit. Interea etiam sustinet aduocati nomen, quò ius eludant domini Inquisitores. Pergamus.

Igitur tertio die postquam accusationis suæ exemplar accepit reus, vocatur ad


tribunal, ibi iam præſtò adeſt eius aduo-
catus veluti tela omnia iniquitatis ab eo
quem mox in ſuam tutelam accipiet, ſtre-
nuè depulſurus. Iàm Inquiſitor veluti bene-
ficio ſummo afficiens reum, & ab ea iuris
parte ſeſe inſolidum abſoluens, prętenſo
digito, oſtendit reo ſuũ aduocatum: deinde
ſua ſolita improbitate vſitatam cãtilenam
illi occinit, ſcilicet vt verum dicat, conſu-
lat ac proſpiciat ſeriò ſuæ conſcientiæ, ex-
ponatq́ʒ ſi quid amplius habet exponen-
dum. Interea noſter aduocatus ſedet aut
ſtat ſedulus proinde ac ſi eſſet ligneus. Quod
ſi dicturus forte quicquam, id prodire in lu-
cem non poteſt niſi conſulto prius Inquiſi-
tore, ſeq; inuicem dum ſermo fit, attente aſ-
picientibus. Veretur enim Inquiſitor, nè
aduocatus ſua vel garrulitate, vel impru-
dentia aliquid effutiat, quo, cõmonefactus
ſui iuris reo, fila ſua ad capturam aſtutè
abſcondita diſturbentur. Aduocatus con-
tra, periculum ſanè perhorreſcens tremore
corripitur, nè verbum aliquod per impru-
dentiam ſibi excidat, quo dominus Inqui-
ſitor offendatur. Aduocatus à reo admiſſus,
ea tãtum in ſolatium pupilli ſui tutò dicit,
videlicet, vt bono animo ſit, veritatemq́ʒ

imprimis indicet, id enim in eo ſancto tribunali ſolum obtinere. Ad ſe verò quod attinet, omiſſurum nihil quod in ſe ſit &c. Succinit deinde Inquiſitor eandem cantilenam, ac ſic demum remittitur reus in ſuum ſepulchrum.

Poſt hanc audientiam reus meliore vt cunq; animo eſſe incipit, perſuaſus negotium ſuum prope finem iam eſſe. Atqui multò aliter res habet: Nonnulli enim in carcere tanquam in coriariorũ calce atq; dolio ad macerendum atq; euellendum per annum, aut ſexquiannum, aut etiam per triennium aut quadriennium integrum pro arbitrio patrum fidei longę obliuinioni traditi relinqui ſolent, quo toto tempore neq; amplius vocantur neq; ſermo ſerius de ipſorum negotio expediendo habetur. Si quãdo diuturni carceris ac ſqualoris intollerabilis tædio enecati rei audientiam poſtulẽt, nonnullis conceditur, alijs ſurdas aures præbent, ſed pari demum fortuna. Eis enim quibus vel poſt multam efflagitationem cõceſſum eſt, in conclaui introduci iuſsis, eo oris ac ſermonis habitu, quo facilè oſtendunt, ſe eorum nulla omninò cura tactos, ab eis quærunt quod ab omni parte beatis

quærere congruum foret, Ecquid scilicet ibi velint? Reus ad hæc, Vt de negotio suo agatur, ac constituatur tandem. Excipiũt ipsi, eos omni cura ac diligentia in illud incumbere, neq; ipsius se esse oblitos credat. Si seriò cupiat negotij sui finem, de propalanda veritate porrò cogitet, cur adeò negligat suam conscientiam? &c. Itaq; tantæ moræ in miserum, qui vel ad incendium ipsum libenter exiret, relata culpa, ad suũ ergastulum eum remittunt. Cui & si sæpius postea audientiam concedunt, in qua eadẽ postulet, eadem quoq; ipsi respõdẽt, quóusque tandẽ ipsis videtur maturus, cui dicta testium aduersum se iam communicentur: publicationem testium vocant.

PVBLICATIO TESTIVM.



Gitur cũ ex diuturno & squalido supra humanas vires ergastulo, patrum iudicio miser vinctus iam fuerit adeò æger animi, vt exitũ vel supplicio ipso ẽp

turus libenter, ac proinde amplius quam ab ipso quærant, indicaturus videatur, in audientiam vocatum, sermone inter obiurgationē & lenem commonefactionem cōposito, interrogant, quî fiat vt negotij sui tàm sit oblitus? depromatq; iam veritatē: atq; ea de re multæ habentur adhortationes, secundum quas in hac eadem aut insequenti audienrta fiscalis actionem suam inchoans petit fieri publicationem testium: quo ab ipsis è vestigio concesso, exhibentur reo testium depositiones, nominibus tamē ipsorum testium suppresſsis. Ordo ac stilus harum depositionum ostendit satis quantopere cupiat sanctum tribunal, vt veritas demùm patefiat. Namq; eo pacto recitātur omnia hoc est, tot salebris, & anfractibus distorta ac contorta, verbisq́; adeò ambiguis & ancipitibus, vt quiduis potius quā hominum ratione vtentium dicta videri posſint. Hoc ex artificio sancti tribunalis consultò fit, primum, vt reus semper incertus ac dubius sit vel in ijs ipsis quæ iam nouit contra se deposita. Deinde vt nulla ratione, quo ad fieri posſit, sibi innotescant ij quorum aduersum se testimonia recitantur, nè contra ipsorum personas excipiēdo

se tue-

ſe tueatur: Tertiò deniq; , vt ſi de eiſdem rebus de quibus ſe delatum audit, cum alijs, quàm cum illis, qui detulerunt, colloquutus fuerit incertus omninò, quis eum detulerit deferētē deprehēdere conatur ōnes fortaſſe indicet: atq; ita demum fiat, vt eo plures piſces in piſcatoriam illam ſāctι tribunalis naſſam trahat.

Libenter hîc quæſiuerimus à patribus fidei, dicant nobis (quando vt plurimū iuris ſunt peritiſsimi) qui fiat, vt quum teſtium publicatio integra ſcilicet & bona fide facta ex communi iure ſit, in ſancto ſuo tribunali nullum habeat locum, neq; demum ex iure ſit, niſi dimidiata ac meliore parte ſui hoc eſt ſuppreſsis teſtium nominibus, circunciſa, neq; altera, quæ reliqua eſt, integra ac bona fide, imò mala, imo peſsima fide, vt mox dicemus, recitata? Item ſi exceptio contra perſonas teſtium non ſolum ex iure ſit, verùm etiam per quam neceſſaria, ne proborum innocentia peſsimorum hominum calumnijs quaquam verſum pateat (etenim inimici, mendaces, infames, fatui aut inſani, ebrioſi, infideles, ſerui, & id genus hominum à dicendis teſtimonijs vel in politicis haud magni momēti rebus,

iure foro arcentur) cur in sanctissimo istò foro nullus est ei relictus locus? Ecquis totum hoc nihili genus hominum aptum fecit vt in caussis fidei, omnium sanè grauissimis, testimonium dicant, recipiaturque eorum testimonium, ac vim obtineat vel ad damnandum morte reum, quùm omni iure sint inepti vt ex eorum tantùm testimonio vel de re minima, quæ in controuersiam vocetur, in rebus alijs quis damnetur? Dicent fortassis, Pernegamus hîc non esse locum exceptioni contra personas testium, modò reus vlla ratione vel coniectura possit deprehẽdere quis aduersus ipsum, testimonium tulit. Ergó si quando contingat eiusmodi testem à reo coniectura sua deprehènsum, nullius valoris ab ipsis pronuntiari, ac foro próinde excludi, ingenti iniuria aut vtrumq; aut saltem eorum alterum effecerunt. Testem quidem foro reum eijciendo, si illius antea nomen, nè à reo deprehendetur, iure suppresserunt: aut certè reum ipsum, eiusmodi testis nomen tanto studio illi occultando, si exceptiones illius demum admittunt, modò solerti coniectura aut alia quopiam ratione illi innotescat, habeatq; vndè sufficienter aduersum eum

poſsit excipere. Hæc certè iudicijs omnibus, in quibus ſemina aliqua æquitatis ſint reliqua, inexpiabilis atq; atrox eſt iniuria. Sed ad artes.

Teſtium itaq; depoſitiones ſuo ordine, phraſi, methodo, ſatis indicant, tranſierint ne per ſanctitatis officinam, an nequitiæ, fraudis, & calumniæ. Id enim certó certius eſt, eas vt plurimum, non ſolum non recitari coram reo, quẽadmodum à teſtibus fuerant depoſitæ, verum etiamſi teſtis aliquid fortè dixerit, quod in fauorem rei aut ſit, aut conuerti poſsit, illud totum reijciunt veluti inſtituto ſuo ſuperuacuum, eo tantũ admiſſo quod in illius ſit perniciem atq; eo rurſus ad ipſorum cotes diligenter applicato. Vt vero perſpicuè iſtud appareat, operępretium erit formam in diſponendis eiuſmodi depoſitionibus ipſis vſitatam, hîc referre. Sic habet: Teſtis. N. (ſup preſſo ſcilicet nomine) iuratus & ratificatus &c. dicit ſe audiuiſſe in tali loco, tali anno tali mẽſe & tali die (ſi diei quoq; meminerit) coram talibus perſonis quas nominauit, à quadam perſona, quam nominauit, quod dictus. N. (is eſt acuſatus) dixit hoc & hoc &c. In ſuo originali exemplari

(quem proceſſum originalem vocant) ipſi habent has omnes circũſtantias expreſſas, qua vtiq; expetunt à teſtibus ad maiorẽ rei fidem: at in eo exemplari quod tradunt reo ipſi omnibus iſtis & tempus & perſonarum circũſtantijs, ex quarum obſeruatione potuiſſet reus deprehẽdere delatorẽ aut teſtẽ, fraudulenter ſuppreſsis his vocabulis quidam, & alter quidam & terti us quidam, ſatis faciunt. In hac depoſitionis forma ſacræ argutiæ ſunt imprimis obſeruandæ, videlicet, quùm dicunt (quod audiuit à quadam perſona quam nominauit) intelligi debet reũ ipſum eſſe ex quo teſtis illud audiuerit, arte verò Inquiſitoria fieri, vt in doloſo illo exemplari quod ipſi reo tradunt, veluti ex alio auditum, ſcriptnm ſit, nè cõiectura ſua teſtem reus deprehendat: atq; (quemadmodum ſupra diximus) vt ſi illa ipſa cum alijs quàm cũ iſto teſte fortè cõtulerit, eos nominet, dùm quis ſe percuſſerit diuinare incertus cogitur. Iàm ſi eos nominet, ex quibus nihil antea acceperit ſanctum tribunal, continuo illi proſcribuntur, ac inter hæreticorum fautores annumerantur, quòd hæreticum ſcilicet hominem apud eos errores ſuos peſtilentes euo-

mentem illicò non detulerint. Si verò in testis depositione legitur, (Se audisse à quadam ALIA persona quam nominauit &c. intelligat tum delatus hunc testem auritũ re vera esse, vt ipsius habet testimonium quare néq; ad contestandum cum alio vim vllam habet, etsi ad augendum conceptam de eo suspicionem valeat plus satis. Discrimen inter has duas depositionum formulas in eo modò consistit, quod in altera additur hæc vox ALIA, quæ in priore non est, tantùm habet, audiuisse se à quadam persona &c. Hæc ex libro illo arcanorum mysteriorum Eleusinæ matris. Hac captiosa & fraudulenta sophistice decipiunt domini Inquisitores miseros, qui illorum artes ignorant, tranquilli ac tuti scilicet in conscientia quòd mentiti nequaquam fuerint. Dolendum certè est miseros homines ac plerumq; innocentes eiusmodi, ob Inquisitoriarum artium ignorantiam nunquam ab astutis istis accupibus obseruatis, adeò inhumaniter irretiri. Iuuari tamen vt cumque poterunt hoc nostro consilio: Itaquæ ad has artes melius deprehendendas atq; si fieri potest eludendas primum studiosè cauebit accusatus, nè in hac audientia ver-

verbum vllum proferat ad refutanda dicta testium, (si quidem falsa aut calūniosa fuerint) etsi ad id vel ex tempore agendum instructissimus sibi ipsi videatur: Inquisitoresue sua solita improbitate extemporaneam confutationem ab eo conentur extorquere: sed petat solum vt sibi testimoniorum fiat copia, quibus per otium & ex matura deliberatione in insequenti audientia, aut quum primum potuerit, scripto responde-at: in qua vtiq; responsione obseruabit ea de quibus supra in accusatione Fiscalis eū commonefecimus. Secundo, accepto testimoniorum exemplari animaduertet diligenter (neq; enim vel in hoc à suo ceremoniali aduocato, multo minus ab ipsis dominis iudicibus vllam seriam sperare spem debet) quinam testium sint contestes, qui secus: si quidem de re eadem contestes, ad eum de ea re damnandum de qua sunt contestes, sufficiunt. Imo duo auriti testes in hoc tribunali nulli iuri alligato, vnius oculati vim habent: vnde fit vt duobus auritis si oculatus vnus accesserit, damnari reus potest. Obseruatu est etiam dignum, vnum Custodem carceris Inquisitoriæ (Alcaidium vulgo vocant) pro duobus testi-

bus

bus occulatis haberi : Itaq; de eis rebus quas in carcere viderit, ipsius vnũ testimoniũ satis est ad damnãdum eum quem ipse detulerit. Accidit subinde, vt alicuius depositiònis aut accusationis vnus sit tã tum testis, is si auritus sit, torturæ periculum reo conficit, modò aduersus eum ab ipsó reo accipi non posit. Ad vitandum illum eius formulæ depositionis laqueum quem supra ostendimus (si legitimo iuri, in hoc tribunali ad omnem iniuriam inferendam libero, respectus aut honos vllus esset reliquus) satis reo ad ipsum vel liberandũ vel saltẽ õnium piorũ iudicio, purgãdum sufficeret, si quod illi pro aurito testimoniũ retulerunt (esset vel non esset particula illa ALIA, qua se à mendacio & captiosa calumnia purgant domini Inquisitores) simpliciter & syncere reijceret. Tùm enim fieret vt si auritum re vera foret, pro reiecto & minimi valoris haberetur : si vero occulatum, legitima illius reiectione laqueus ibi absconditus præcideretur, cogerenturq; sancti Patres omisso sanè artificio, declarare testimoniũ illud occulati testis esse, ac accuratiore proinde refutatione indigere.

Sed

ipſe indicare conabatur, ſed quæ dictauerint ipſi. Ea in meliorē partem nō ſemper eſſe, piè creditur. Dementauit tamen eos Deus, vt ad ſuas haſce artes minus intenderent, quum Hiſpali anno 55 ſupra milleſsimum quingenteſimum furens quædā fæmina è catenis, in quibus ob furorem tenebatur apud pium quendam virum, cuſtodibus abſentibus elapſa, ad ipſos Inquiſitores in arcem Trianæ penetraret, Eccleſiam totam, quæ per latebras in ampliſsima ciuitate deliteſcebat, indicatura. Præda ingens ac opima, niſi Deus mirabiliter à Cœtu ſuo tum nimis tenero, & ſupplicijs, quæ tamen poſtea ſubijt pro Chriſti confeſsione, immaturo, eam tempeſtatē auertiſſet. Fuerat hæc mulier ante furorē ex præcipuis illius Eccleſiæ membris, ſi non ſexum, ſed pietatis ſpecimen, & in rebus ſacris eruditionem ſupra muliebrem conſideremus, atq; hac præcipua de cauſa omnes qui tanto cum periculo Chriſto nomen dederāt, familiariter nouerat. In ipſo autem furore, priore pietate ac charitate erga Eccleſiam in peracerbum & furioſum planè odium conuerſa, adeò excādeſcebat in Eccleſiam piorum, vt perpetuum illius

illius insaniæ nullum aliud thema foret, quam Inquisitores, ignes, incendia, agitáte nimirum diabolo, & ex insania miserrimæ mulieris, destruendæ funditus illius pijssimæ Ecclesiæ occasionem aucupante. Soluta igitur vinculis mulier, ad arcē Inquisitoriam festjnato ac rectá intēdit iter: pulsat fores, quæ delaturæ innocentem turbam continuo ex more patuerunt. Ingressa petit festinatum concessum patrum. Illi velut ti ad rem magni alicuius momenti statjm conueniunt, consedent in suo conclaui, mulier jntroducitur, auditur. Illa continuo dicit adferre se catalogum ingentem Lutheranorum, quibus plena sit ciuitas, ipsis interea, qui in eiusmodi malos euentus sedulò excubare debuissent, sedentibus & lōgo otio ac somno torpentibus. Incipit deinde catalogum suum ex memoria recitare, in quo vltrà 300. Euangelium summa pietate profitentes detulisset, nisi Inquisitores ipsi attoniti in principio ad rem prodigio similem, (nullus enim aut per paucus de Lutheranis ante id tempus fuerat sermo) obseruatis aliquot deliciis, quæ inter res alioqui veras mulier per insaniam immiscebat, illam opportunè cōpescuissent.

Ne

Ne verò vel in re parum ſeria officium minus præſtare viderentur, fœminaibi retenta, accerſiri iubent eum, apud quem illa aſſeruabatur, quem ex verberum dolore, quibus ab eo ob furorem reprimendum affecta fuerat, primum in delatis eſſe voluerat. Franciſco à Caſtra illi erat nomen in tẽplo D. Vincentij beneficiario, cuius ob religionẽ poſtea capti atq; è carcere Inquiſitorio mirabiliter elapſi effigies, in primo de Lutheranis triumpho cremata eſt. Accerſito eo, quem vtiq; pro viro bono ipſi tum habebant, quærunt ab eo quid rei illud eſſet, quod illa mulier indicarat de tot Lutheranis &c. ille continuo expreſſo per vim, ac ſimulato riſu, eos veluti irridere cœpit, quòd mulieris inſaniam non percepiſſent: vehementer enim ab aliquot iam mẽſibus eam furere, adeò vt & verberibus & catenis indiguerit, prout liuentes ipſius ſcapulæ, & poplites etiam catenarũ veſtigia retinentes teſtari poſſent. Quùmq; apud ſe ex charitatis officio in vinculis aſſeruaretur, è vinculis elapſam à ſe & ſuis per totã vrbem iam quæri ſe vero lætari plurimum quod incolumis reperta eſſet. Quod verò de Lutheranis dicat, eam eſſe perpetuã

illius insanientis cantionem, vt solent insania correpti aliquo speciali themate perpetuò debachari. Inuisant modò vincula apud ipsum, percontentur etiam vicinos, inuēturos se ita rem habere: precariq; eos vt mulierem ab ipsorum famulis comprehensā ad se ad vincula reduci iubeant. Mulierem ergo reclamantē, imò insanis clamoribus arcem implentem, asserentemq; se nequaquā insanire, illum vero pessimū esse Lutheranum, Lutheranorum omnium, qui in vrbe essent, longe pestilentissimum, qui eam ferro onustam tot flagris quotidie cæderet. Illi, aborto affatim risu, per famulos comprehendi, vinciri & ad sua vincula reduci iubent, hominis pietatem collaudantes, qui tam molestam curam, ci-curandi furentem fœminam, subiret, exhortantesq; vt deinceps eam melius custodiret, nè vinculis soluta easdē rursus turbas cieret. Igitur artibus ac legibus suis ita neglectis, hac vice amiserunt domini Inquisitores eo tempore haud omnino malè, eam ingentem capturam qua duobus aut tribus postea annis, matura iam scilicet Ecclesiæ illius vindemia, potiti sunt. Iam ad rem

obser-

Obſeruandum præterea eſt in hoc ſancto tribunali actorem non eſſe eum , qui quen quā detulit aut accuſauit, ſed Fiſcalem . Is recipit in ſe accuſationes & actorem agen tis qui accuſarat , loco teſtis inſeruit , ſæpe etiam ſolus. Eius rei ſicut aliarum omniū, non eſt quod vllum præter eorum ipſorum teſtimonium adferamus : ſupereſt vt quiuis iudicet qua lege aut iure id fiat.

CONFVTATIONES TESTIVM.

TErtio aut quarto poſt hæc die, iubetur ſiſti reus ad dicta teſtiū reſponſurus. Adeſt etiā ſuus aduocatus . Haud eſt hîc prætermittē dum , quòd cùm in rectis iudicijs aduocati officium ſit , vnà cū ſuo reo , quem defendit, dicta teſtium animaduertere diligenter , ex eiſq; de præcipuis reſponſionis ſuæ capitibus ipſum ſeriò commonere , ac in primis reſponſionē ipſá induſtria ſua cōficere , eoq; ordine diſponere quo illius cauſa commodius adiu-

uari possit, (ecquod erit aduocati officium nisi hoc sit?) relinquunt miserum vinctum, vt ipse prout possit, respõsionẽ solus moliatur, nullius præterquam solius Dei ope adiutus. Si quæras quî peruertat hac etiã in parte sanctum tribunal eum morem, qui haud dubiè ex ipso naturæ iure fluit? Habent quod respondeant aliud nihil, nisi sanctum hoc tribunal non esse vt alia tribunalia: & re vera ita est: neq; enim ipsius artes alicuius forent momenti, si reis quî in eo sistuntur, libera ac integra maneret ea defensionis suæ ratio, quã illis iura omnia permittunt. Atqui posteaquam vinctus pro vt potuit, respondit, tum demum, oportunè scilicet, adest illi suus aduocatus. Is coram ipsis Inquisitoribus, tam circũspectè atq; ipse nouit rem magni periculi agressuro esse opus, ne ipse quoq; in Inquisitorios laqueos minus cautus fortè incidat, indicat suo vincto quibus testimonijs prematur vehementius, quæ grauamina aduersus eum comprobentur, qui testium sint cõtestes, qui secùs? vnumq; remedium superesse, videlicet vt ipse solerter diuinet, à quonam sit percussus, vt, si fieri possit, aduersus eũ exceptiones meditetur. Néq; hîc

hic oportet aduocatum, vltrà id quod iam vincto ipsi ex eisdem depositionibus à se per otium inspectis innotuit, multa garrire, quibus fortasse vinctus, veluti per trāsennam, alicuius rei commonefiat: tantū eū monet, vt per dies aliquot (vt is cui otiū abundè suppetat) conetur in memoriam reuocare, quibuscùm forte habuerit inimicitias, fieri posse, vt ex suis inimicis quispiam sit, qui eum detulerit. Námq; si de inimicitia constare posit per legitimam quæstionē, hęc vna exceptio à dicēdis testimonijs quodcūq; genus hominū in eo tribunali arceat. Monet etiam inficiari se posse testimonia, cum inter se non fuerint satis constantia, aut fuerint (vt dictum est) inimicorum, si compluribus testibus probet contrarium eius, quod illi obiectum est, in frequenti vsu ac exercitio sibi potius fuisse, ac sæpe obstitisse ei negotio de quo est accusatus. Videlicet hoc est summum auxilium quod ab aduocato suo expectare vinctus potest, atq; sic iubetur in suum carcerem remitti, obtestante prius ex more suo Inquisitore, vt verum exponat: adhibitis etiam minis pauló inuerecundius, nisi maturè obtemperet, ex iure fore ab eo expri-

mendum: quibus verbis haud obſcurũ exanimis ſæuerioris omen reus accipit.

Elapſis igitur tribus aut quatuor diebus ad reuocandum in memoriam, aut ad diuinandum potius reo conceſsis, vocatũ in audientiam interrogant, an meminerit rei alicuius, quam exponat? Indicante eo de nouo quidpiam vel nõ indicante, aduocatus ab eo quærit, an de teſtibus aut delatoribus quippiam diuinârit? Hîc vinctus, ſi alicuius rei hac in parte meminit, eam exponit, petens vt videant, an forte delatores ſui fuerinr illi aut illi, quibuscum ſibi olim inimicitiæ interceſſerunt, intercedunt eo tempore. Si non exactè diuinauit, perit tùm reſponſio tùm trium aut quatuor dierum labor diuinandi, ipſiúſq; accuſatio manet inconuulſa. At ſi rectè illũ diuinare contigerit, aduocatus ab ipſo petens quibus exceptionibus aduerſus eos quos nominauit, poſsit agere, haud apertè ſatis ei ſignificat, ſe recte diuinaſſe, quãdo neque apertius ei licet. Exceptionibus itaq; expoſitis, ac nominatis à reo teſtibus, quibus eas comprobet, aduocatus veluti in liberiore iam arena verſans, ſuſcipit earum quæſtionum habendarũ curam. Solet etiã

pete-

petere à reo aduocatus, an ad ſe exactè purgandum probare poſsit, amicum ac familiarem fuiſſe monachis, præcepta ac ceremonias Eccleſiæ Romanæ diligenter obſeruaſſe: Confeſsione auriculari ac communione, hoc eſt participatione panis Miſſatici frequenter eſſe vſum, Item imagines & cruces, quoties datæ ſint obuiam, proſequutũ fuiſſe ea veneratione, quæ Luteranæ hæreſis ſuſpitionem remouere ab eo poſsit. Breuiter, an in vniuerſum probare poſsit contrarium de ſe eius, de quo eſt accuſatus. Quod ſi ad hæc omnia probanda ſeſe offert, Inquiſitor ſolenni iuris actione pronũtiat ſe eum admitere ad hæc intra nouem dierum ſpatium comprobanda, cuius rei cura, nominatis ab ipſo reo teſtibus (vt paulo ante diximus) aduocato in totũ cedit. Beneficium hoc ſeſe purgandi haud conceditur omnibus, ſed ijs tantum, de quorum criminationibus conformia ac ſibi vndiq; conſtantia teſtimonia nõ fuerint. Iis enim de quorum delationi- teſtimonia ſunt conformia, nullum in his purgationibus præſidium patet, tantum admittuntur ad eas in teſte exceptiones de quibus ſupra.

Quùm ad hunc rerum ſuarum ſtatum reus deuenerit, perſuadeat ſibi oportet, Deum ad explorationem puti puri, fideiq; ſuæ illum perduxiſſe. Etenim ſi ad præſens periculum corporis effugiendum in animũ induxerit in eius generis purgationibus prędidiũ quærere, fieri fortaſsis poterit, vt quod ad Romanæ Eccleſiæ ſubiectionem, eiuſq; idololatrias attinet, apud ſanctum hoc tribunal perpurgatus maneat: verùm pro comperto habeat, apud illud Dei tribunal creaturis omnibus reuerendum, atq; in veræ ſuæ Eccleſiæ iudicio, ſécus fore. Itaq; operæpretium erit vt eiuſmodi vinctus etiam atq; etiam videat quod agat, & animum ſuum atq; ſuæ captiuitatis cauſas hoc in loco perquam diligenter exploret perpendatq́;. Si enim Dei gloria & veritatis ipſius ingenua confeſsio captiuitatis ſuæ cauſæ ſunt, dùm abiurato Chriſto & ſanguine teſtamenti cõculcato àtq; abnegata ea veritatis luce, ad cuius communicationem Deus ex ignorantiæ & peccati tenebris eum tranſtulerat, maledictis ac dãnatis iſtis rationibus ſæuitiam hominũ vitare velit, effugiet fortaſsis (vt diximus) impendens tormentũ, recuperata etiã hominum

minũ gratia: at vero pro certo ſciat nequa quam euaſurũ ſe acerrimũ Dei iudicium, cuius veritati renuntiauit, quiq; occiſo corpore poteſtatem deinde habet animum in perpetuas & omni ſolatio vacuas tenebras detrudẽdi. Verùm ſi aliquis pro gloria Dei proq; ſalute ſua zelus in eo eſt reliquus, ac Redẽptoris ſui authoritas apud eum ali cujus eſt momẽti, dicentis, Qui me abnega uerit corã hominibus abnegabo & ego ipſũ coram patre meo cæleſti: eum verò qui me faſſus fuerit corã hominibus, fatebor & ego ipſum corã Patre meo cæleſti & ipſius angelis &c. ab ea vna authoritate veluti à ſacra ac firma anchora in ea hora totus pendebit & tẽporariæ ſalutis medijs omnibus à ſuo aduocato ipſiſq; iudicibus hîc ſibi oblatis ex animo atq; ex ore, abdicatis (vt pote quibus citrà iniuriã creatoris ſui & animæ ſuæ certũ exitiũ aſſentiri nõ poſsit) exhibebit perſpicuã ac dilucidã fidei ſuæ cõfeſsionẽ, millies ſe beatũ arbitrãs, quẽ in eũ tẽporis articulum Deus deduxerit, quo pro nomine Seruatoris ſui Ieſu nõnihil afflictionũ pati poſsit, terreno ſuo domicilio, ideſt corpore infirmo ac caduco, pro adeò fœlici ac illuſtri cauſa in gloriã cõditoris ſui & Eccleſiæ ſuæ ędificationẽ diſrupto diſiectoq;.

Ista enim maledicta salutis media quæ à Sancto illo totius iniquitatis tribunali in hac audientia reis, ex misericordia scilicet crocodillea offerri solēt, nequaquam eo cō-silio hic à nobis referuntur, vt per ea saluti suæ pij consulant, quin potius vt ea nouerint, atq; execrentur? & vniuerso orbi innotescat, quomodo Sacrosanctæ Inquisitionis studia, molimina, institutáq; omnia in eum modò scopum collimentur, ad deiiciendum videlicet in æternum & corporis & animæ interitum, eum quem inter sæuas & sanguine filiorum Dei perpetuò madentes manus acceperint, siquidē diuinæ luci renuntiauerit: sin secus, corporis tantum, in quod solū, in ijs qui seriò Deum timent, sæuiendi potestas illis est concessa. Vincto post hæc in suo ergastulo per mensses aliquot pro arbitrio patrum quiescere permisso, eum ad agonem rursus vocāt, cui Inquisitor primum dicit, testes quos in suā purgationem nominauerit, iam esse auditos, videat proindè habeat nè adhuc quicquam quod pro se dicat, an velit porrò iá concludere. Adhibet deinde importunam illam suam adhortationem, vt verum dicat, eis enim nunquam fuerit satis dictum.

Vinctus ad hæc respondet, prout rerum sua rumstatus consulit. Multi adhuc solent iterum atq; iterum interrogari, responsionũ iam ab ipsis exhibitarũ verbis singulis, argutissimis cauillatoribus argumenta sine fine suppeditantibus. Reo porrò concludente, Fiscalis quoq; concludit: atq; ipsi postea Inquisitores cum suis consultoribus atq; assessoribus quùm libet, & quomodo libet, sententiam ferunt, theologis, monachis, & clericis, quicquid ad doctrinam & fidem spectans reus dixerit, prius expendẽtibus, ac ad suam ipsorum censuram reuocantibus. Qualificationem doctrinæ id vocant. Ibi, si abundè probauit reus sua illa purgatione, nihil sibi comercij vnquam fuisse cum Christi Euángelio, (quas commutatis prorsus genuinis rerum nomenclaturis Lutheranas hæreses vocant) aut eum ex integro absoluunt, aut, quod frequentius accidit, iudicium aut mitigant, aut aggrauant pro ratione eius suspitionis, quam reus in eorum animis reliquit, eo tamen semper obseruato, ne ex ipsorum manibus quisquam euadat, & si pari cum eis impietate certauerit, qui immortalibus ac imperpetuum indelebilibus in cute residentibus

bus vibicibus non testetur, in sanctæ Inquisitionis vnguibus plusquam leoninis se fuisse aliquando. Vestigia vnguium sunt bonorum proscriptiones in fiscum, perpetui aut temporanei carceres, vestis lutea rubra cruce insignita, Sambenitus vulgo dictus, perpetua demùm ad omnem posteritatem infamia, quam nulla ætas tempusuè abolere posit: de quibus infra suo loco. Si vero reus in constanti fidei confesione permanserit, aut constanter inficiatus fuerit dicta testiũ cõstantia aduersũs se, in quo tamen nõ exceperit, torturis adiudicatur, de quibus iam dicemus.

SENTENTIA AD TORTVRAM ET EIVS EXEQVVTIO.



Vra quidem & pene miserrima ab initio semper fuit (lector humanissime) piorum (modo cum impiorum, in hac uita prosperitate cõparetur), conditio, adeoq; rem gratã (iuxta Christi apud Iohannem uerba) se præstare arbitrantur, qui eos quauis fere de causa interfecerint nouosq;

nouoſq; quotidie illos irretiendi laqueos machinantur, quod aliqua ex parte prius ſatis conprobauimus. Et quanquam quæ hactenus narrauerimus, eiuſmodi ſint tùm iniquitatis tum fraudis, ut ingenuis atque iure, ratione & æquitate regi cupientibus populis intollerabilia merito uideantur, tamen eorum quæ deinceps narraturi ſumus comparatione, non modo utcunq; ferri poſſe, uerum etiam humanitatis & æquitatis plena apparebũt. Excedũt, enim omnẽ barbariẽ imò & omnẽ belluinã feritatem neq; ad aliud quantumuis truculentum ingenium ea iã quiſquam rectè referat, quàm ad illud ipſum quod ad uiuum referunt & ex quo re uera proficiſcuntur Diaboli ſcilicet nihil in humanis rebus néq; in omnibus porrò, quæ uideri datur, monſtroſum hoc ac diabolicum planè truculentiæ exemplum exæquante. Obdureſcat ergò, humanitatiſq; teneritudinem tantiſper deponat neceſſè eſt humanum cor, ſi quæ ſequuntur ſiccis oculis audire uelit, dum accedentes propius ad hanc truculẽtiæ officinam ubi miſeri homines leuiſſimis ſæpe de cauſis, quam ſæpiſſimè etiam innocentes excarnificantur, detracto ſanctitatis uelo, quod adeò perniciosè orbi hactenus impoſuit, eam, qualis eſt, ſpectandam omnibus proponemus.

Igitur lata ſententia, ſi reus torquẽdus nõ eſt, nõ accerſitur amplius, quouſq; in die theatricę illius pōpę (quo in publicũ ſpectaculũ audituri ſententias,

ac

ac è vestigio supplicia quisq; subiturj, vincti omnes educũtnr, de quo infra suo loco) cum aliis exit, nisi omni noxa absolutus fortè sit, ac innocens declaratus, tum enim obseruatur adhuc in ipso carcere vsq; ad biduum triduúmue post illam pompam, vt inter reos alios is quoq; exîsse vulgo videatur. Hoc ex sacro etiam artificio fit, ne ipsi temerè àc citra sufficientem accusationem quenquam comprehendere existimentur, quemadmodum & ipsi vinctis sæpius inculcare solent, dum eos, vt ea indicent quæ ipsi cupiant, hortantur. Sancto tribunali nullæ in vinctos suos iniuriæ sunt iniuriæ. Ex istis nonnullos, quos certis ac occultis de causis fauore prosequi statuerũt, biduò aut triduò ante illam pompam liberos domũ remittunt, sparso in eundem finẽ ab eis rumore in uulgus, fallsis eos testibus fuisse accusatos: sed facile deprehendet artificium, qui nullum ob id negotij testem *falsum (in quos alias seuerissimè animaduerti solet) supplicio affici uidet.* Quem verò torqueri decreuerunt, quùm ipse minus cogitat, adduci in audientiam iubent, ibi Inquisitores omnes, aut eorum maior pars, sedent pro tribunali. adest etiam ouiculæ mox excoriandæ

andæ paſtor, Prouiſor ſcilicet aut Vicarius, qui ex officio paſtorali (vt ſupra diximus) & ſententiæ & torturis ipſis intereſſe debet.

In hac audientia dicunt reo, cauſam ipſius vniuerſam inſpectam ab illis dominis & eorum conſultoribus, atq; examinatam eſſe, qui pro comperto deprehenderint, ipſum, veritatem ex integro manifeſtare noluiſſe: atq; idcircò eos decreuiſſe, vt torturæ quæſtionibus cùm ipſo agatur, quibus veritatem ab inuito exprimant: ob idq; etiam atq; etiam hortari ipſum, vt vltrò eam exponat, ſi velit torturæ non exponi. Hanc denunciationem committãtur horrendæ comminationes, verba tragica, vultus deniq; ad multam ſeueritatẽ cõpoſitio. Referũt illi torturæ genera, quoad poſſunt, atrociſsimè, vt ſummũ illi terrorẽ incutiãt. Fatente reo quicquam, vel diffitente, ad torturam porrò eſt eundum. Itaq; accerſito arcis cuſtode, iubent, vt in conclaue torturæ, reum ducat. Illud vt plurimùm ſolet eſſe antrũ quoddam ſubterraneum, àc per obſcurũ, ad quod multis oſtijs prætergreſſis, (nè eorum, qui ibi torquentur, gemitus, ac mugitus exaudiri alicundè poſsint) peruenitur. In eo eſt erectum tribunal, vbi

Inquiſitor, & Prouiſor, & ſcriba ſedent ad ſpectaculum anatomiæ, eius qui illuc introducitur. Accenſis luminibus & ingreſſis tragœdiæ perſonis, carnifex qui alios omnes intus iam expectat, inter omnes alios eſt ſpectaculo & contemplatione dignus. Is totus eſt coopertus nigra veſte ex lino ad pedes longa aſtricta, vndiq; adhærente corpori in earum morem, quibus vti ſolent ij qui ob ſuperſtitionem die Iouis magni ſeu ſancti, ſeſe flagris cædũt in com pluribus, aut ferè omnibus, papatus locis. Caput habet velatum ob lõgo nigroq; caperone quo faciem totam contegit, relictis duobus modò paruulis ad viſum feneſtellis. Hæc omnia eò tendunt vt maiore terrore concutiatur animo ac corpore miſellus, hac imprimis diaboli alicuius imagine, cuius manibus torqueri debet. O ſanctas artes. Dominis igitur pro tribunali ſedentibus, nouis adhortationibus vinctus moneri incipit, veritatẽ vltrò vt exponat, ſin minus, ſi in tortura (id quod multis euenire ſolet (brachio, aut mẽbro quopiam fuerit fractus, vel etiã obierit, (neq; enim mitius agere decreuerunt) ſibi fore imputandum. Hac vna cõmonefactione liberi

iã ſunt ac tuti in cõſcientia corã Deo & ho
minibus, ſuo iudicio ſancti patres, inſõteſ-
que ab omni dãno, quod patiẽti in tortura
obtigerit, etſi in ea moriatur, vel innocẽs &
ab õni culpa immunis. Inter acres tũ cõmi
nationes tũ obiurgationes, exui eũ ſuis ve-
ſtibus iubẽt, etiã ſi mulier ſit, vel virgo quæ
piã honeſtiſsima ac pudiciſsima, cuiuſmo-
di, cõplures habere ſolẽt in ea carnificina,
quib9 cõſpici nudas corã ipſis, vel illis ipſis
tormẽtis durius præ pudore tormentũ fuit.
Si quidem impij iſti nullo vel humanitatis
habito reſpectu, uel etiã vllius honeſtatis
(etſi ob aliud nihil foret quã obtẽtu barba-
rũ ſuarũ & ob longarũ veſtiũ, ac nominis ſã-
ctimoniæ quod præ ſe ferunt, quando neq;
Deo neq; piarũ matronarũ & virginũ hone
ſtati quicquã ex ſũma ſua illa barbarie defe
rendũ putãt) expoliari eas faciunt ad ipſas
vſq; interulas, quibus poſtea ſublatis (ſit ver
bo venia) ad pudẽda vſq; ſtricta linea femo
ralia illis induũt, denudant deinde brachia
vſq; ad humeros, ac ſi quib9 excarnificatu-
ri eas ſũt, torturę, nõ poſſẽt camiſiã penetra
re, vel femoralibus quàm camiſia ipſa, me-
lius quæ nudari diſpudet, forent occultan-
da. Hĩc oſtẽdunt illã inanem voluptatẽ, quã

ex illo fœdo ſpectaculo percipiunt immũdi ac impuri cælibes, ſcilicet amittere ſe nolle, & ſi tanto & dolore & pudore piarũ fœminarum, quæ ibi torquentur, illis conſtet. Neq; hic deerat cur audita cognitaq; iſtac immani impudentia dominorum iſtorum patrum fidei ab vniuerſo populo tam papiſtarum quam non papiſtarum, vt commune quoddam peſtiferum malum toto orbe exterminarentur, quorum aut vxores aut filiæ, quarum honeſtas atq; pudicitia eſſe illis debet magnopere commendata, in illorum, vndiq; impuras manus aut deuenerunt, aut iam ſunt, aut deueniēt fortaſſe aliquãdo probroſá eiuſmodi cõtumeliam accepturæ. Atqui vt ad inſtitutũ redeamus, exuto veſtibus ſuis vincto, viro aut fœmina, vniſq; perparuis femoralibus pudenda contecto, innuunt carnifici, quo genere torturæ in miſerum, vti debeat: nanq; vel in iſtud quoq; eſt illis certa ars, certorum cùm ſignorum tùm verborum, & ſermonis peculiari genere, quibus & iudices & carnifices cæteriq; eius maledictæ officinæ miniſtri ſe inuicem intelligunt. Torturæ genera quibus patres fidei edocere fidē ſuam conſueuerunt, ſunt complures, neq;

omnia vinctus vnus nosse potest. Vsitatiora verò sunt, Garruchæ seu trochelæ, neruorum & aquæ, ignisq; de quibus singulis suo loco. Hic rursus nouis commonefactionibus ac obtestationibus vinctum admonēt, vt & de se & de alijs sibi notis indicet, quod nouerit: atq; has inter obtestationes, quem garruchæ tormēto destinarūt, eius manus à tergo reuinciunt certo orbium numero; ad octo videlicet aut decem, ex iussu ipsius Inquisitoris singulis vicibus carnifice cordam circum manus fortiter obducente, nè nihil non videatur iubente iure ipso ac seruata omni æquitate fieri. Hanc primam ad torturam vinctionem nouæ obtestationes excipiunt, secundum quas, vltra prædictum colligationem manuum, obligantur illi simul pollices alia corda tenuiore, idq; acriter. Deinde duas hasce cordas manuum scilicet & pollicum ad camelum quendam ibi ex Garrucha aut trochlea pendentem alligant. Immituntur deinde pedibus prægraues compedes, si vinctus eas non ad fert, ijsque addunt ferri massam quandam 25. pondo prima vice, quæ a compedibus inter ipsos pendeat pedes. Vincto in hunc modū adornato adhortationes ac obtesta-

tiones repetuntur, atq; inter has cantiones carnificis opera incipit in altū sustolli, scribæ & Inquisitoris obtestationibus carnificis operā commitantibus. Capite ipsá trochleam contingente vincto, eum rursus monent, vt indicet &c. illico inde deponendus, si obtemperet: sin minus, tantisper ibi futurum donec exponat quod ab eo petitur. Postquam verò diutius sic pependit nihil fassus, iubent eum inferné deponi, addiq; ad pedes priori ponderi libras totidem, sicq; rursus in sublimè attolli cōminantes ibidem moriturum, nisi apperiat quod ipsi scire ab eo cupiunt, præcipientesq; carnifici, vt eum diu in aerem detineat pensilem, vt grauitate ponderis à pedibus pendentis membra omnia atq; artus vltrà modum distendantur. Inter eos clamores ac gemitus, quos ex vehementi omnium membròrum cruciatu vinctus edit, ipsi quoq; vicissim vociferantur, vt veritatem prodat: alioqui fore vt indè præceps detur. Neq; deest comminationi factum, ipso enim constanter perseuerante, præcipiunt carnifici vt remisso fune eum indè præcipitet, atq; in medio aere repente rursus retēto fune prohibeat casum, quo

facto

facto iuncturæ omnes patientis, cum brachiorum tum crurum, ingentibus cum doloribus, auulsis à se inuicem membris, dissoluuntur, pedum pondere ex repentina casus prohibitione, vehemẽtius atq; acrius totum corpus distendente.

Neq; hîc cessatur. Nouis enim & adhortationibus & comminationibus, nisi pareat, pondus à pedibus tertiò augetur, ac semimortuo in sublime ferri iusso, doloribus addũt contumelias, vocitantes canem, hæreticum, qui veritatem tanta pertinacia occultet, atq; demum ibi moriturum. Quùm verò vinctus in medijs doloribus Christum inclamat, qui opem tam immaniter pro se torto ac planè moribundo ferat (vt omnes, qui pro ipsius veritate torquentur, sanè agunt) sannis ác scomatibus eum deridentes, Iesu Christe Iesu Christe, (inquiunt) sine nunc Iesum Christum, & veritatem patefac. Qualem inclamationem Christi edis? fateare quod petimus. Enimuero apparet, quam sint eiusmodi blasphemiæ illarum affines: Eliam iste inclamat: Deo fidit, eripiat eum nunc, si velit, dicit enim se gnatum Dei esse.

 Hîc

Hîc sanè haud desinunt patres fidei perspicuum testimonium edere, Christum ipsum esse, cui in hac controuersia bellum inferât, cuius nomen ab ijs qui propter ipsum patiuntur, inclamatum, adeò odiosum, molestum, deniq; auditu intollerabile illis sit.

Si quando patiens se indè petit deponi indicaturus quicquam, indicetq; nō nihil, eo facto torturam ipse sibi adauget, tū enim incipere depromere existimatur: quare eo dicendi finem faciente adhortationum, comminationum, & torturæ demum ipsius initia & ipsi repetunt, in sublime rursus ferri præcipientes ac secundo indè dari præcipitem, modo superius dicto. Tortura hæc vt plurimnm protrahitur ab hora diei nona ante meridiem, ad duodecimam, aut à meridie primam. Quùm verò finem facere libet patribus, carnificem ipsum simulatè interrogant, habeat nè ibi parata aliarum torturarum instrumenta? vt ex præteritis tormentis semimortuo nouum terrorem addant. Carnifice se ea non attulisse respondente, iubent ei vt insequentem diem ea paret, curétq; ne nihil desit. Videamus (inquiunt) an ab isto poterimus veritatem extorquere. Vinctū

vero

vero ipſum toto corpore confractū, ſic diſ-
ceſſuri conſolantur, ſcilicet his verbis, Satis nunc. Ab hac tamen hora ad lucem craſtinam videto vt in memoriam reuoces quod indicaturus es, alioqui in ipſa tortura moriere. Neq; quod ferendum tibi ſupereſt, ei quod hactenus tuliſti, ſimile eſſe exiſtimaueris. Itaq; egreſsis illis, carnifex brachiorum & crurū iuncturas (quoad poteſt) miſero compingit, indutumq; ſuis veſtibus in ergaſtulum ſuum reducunt, aut portant potius pedibus nullo modo conſiſtere valentem, ſæpe etiam ex cruribus aut brachijs trahunt inhumaniter ſatis. Hîc etiam cuſtos carceris vt humanitatis legibus ſola ceremonia rei aut facti vacua ſatiſfaciat, vincto dicit, accerſendum fore medicum, ſi ſit opus.

Quem torquere amplius nolunt, biduó aut triduò poſt ad audientiam vocāt, eumq; è ſuo ergaſtulo ad audientiam iturū, ante oſtium conclauis vbi torturæ fiunt, trāſire faciunt, vbi carnifex ſe videndum in illa, quam diximus, diaboli perſona cōſulto exhibet, vt vel in ipſo tranſitu præterita tormenta ex illius viſu cogatur vinctus delibare. Audientiam ingreſſus inquiſi-

torem & Prouiſorem & ſcribam in eorum tribunali iam ſedentes videt, qui veteribus adhortationibus & obteſtationibus ſuo more ei ſuadent, vt verum dicat, quod ſi neq; hac vice quicquam extorſerint, iubent eum in ſuum carcerem remitti. Si vero aliquid tum indicat, vrgetur preſsius, atq; eiuſmodi eſſe poteſt quod indicauerit, vt ad torturam inde deduci iubeant, ab eo amplius extorqueri poſſe exiſtimantes.

Quèm verò torquere amplius conſtituerunt, tertio die quum iuncturarum dolor eſt vehementiſsimus, ad audientiam vocant, ibiq; & obteſtationes & atroces minæ renouãtur, vt ſcilicet hæreſes reuelet, eos etiam quibuſcum eis de rebus aliquando egit, eos item, quos nouit eius eſſe ſententiæ: ſin minus, and torturas ſe accingat in quibus ſi quid incõmodi in corpore acceperit, moriaturuè, ſua culpa id futurum. Quod ſi conſtanter adhuc in ſententia perſeuerat, per carceris cuſtodem ad torturam reduci iubent, vbi ſedentes, vt ſupra dictum eſt, pro tribunali vinctum ſuis veſtibus exutum, eâdem nonnunquã torturæ ratione, qua prius, illum exercent, aucta nihilominus hoc modo. Pendente ex manibus a tergo

tergo reuinctis, è trochlea reò, vt supra diximus, tenuibus, sed fortibus cordis, vtrũq; femur simul circumligant, deinde pari ratione crura ad medias tibias, tum ligno quodam singulis inserto cordis inter ipsa crura eas pro arbitrio adstringunt adeò acriter, vt cordis in ipsa patientis carne abditis, nouus isq; vehementissimus cruciatus misero addatur. Exigit in hac tortura vinctus tres aut quatuor horas pro Inquisitorum arbitratu, quæstionibus, obtestationibus, probris & sannis interea non cessantibus.

Quùm uidetur, alios hac uice aliud torturæ genus experiri cogunt, quod, etsi alijs tribunalibus in scelestos homines sit quoq; usitatum, tamen, singulari addita sæuitia, sanctum tribunal meritò sibi proprium fecit. Illud Burri *seu aselli uulgò uocant, nos aquæ & neruorum supra appellauimus.* Apparatur verò in hunc modum. Est scamnum ex solido ligno, superiori tamen parte excauatum in canalis formam, adeò vt iacentis in dorsum hominis sit capax. Ea pars quæ dorsum excipit, baculum quendam teretem transuersum habet, qui iacentis dorsum recipiens canalem ipsum contingere non sinit,

nè qui ibi est torquendus vllam vel in Burro requiem habere poſsit. Scamnum verò ipſum ſic eſt loco ſuo adaptatum, vt ei, qui in illo torquendus imponitur, capite ſint pedes altiores. Impoſito in eo loculo in hunc modum torquendo, fœmorum, crurum ac brachiorum mediæ fiſtulæ ſeu cannæ duris ſed tenuioribus obligantur neruis, quos poſtea palis intercertis paulatim cōſtringunt, quoúſq; nerui ipſi in patientis carne abditi, & oſſa ipſa fere attingant, & aſpicientis conſpectum omninò effugiant. Additur præterea tenuiſsimum quoddam ex lino velum, quod ſuper iacentis os extēſum nares quoq; obturat, vt ore aquam excipiente, reſpirationem per nares cohibeat. Deinde inſtillatur in os per velum aqua ad certam menſuram, pro iudicum arbitrio, quæ non guttatim ſed ad fili modum in iacentis os ex ſublimi decidens, tenuiſsimum velum facilè in imum guttur ſecum trahit. Dicas hîc miſerum hominem moribundū in eo eſſe agone in quo extremos ſpiritus mox exhalaturi, eſſe ſolent, niſiq; huic reſpirationis præſidium nemo prohibet, illi nullus eſt reſpirandi locus, os aqua, nares velo impediente. Quùm verò ex imò gut-

gutture velum extrahitur (id verò sæpè fit vt ad quæstiones respōdeat tortus) aqua & cruore madidum, viscera misero conuelli dixeris: atq; hoc modo exigit in tortura patiens quantum temporis ipsi volunt, atrociora semper illi comminantes quàm sit perpessus, ac demum in ergastulum reducitur.

Si in tormentis adhuc progredi patribus libet (fieri enim omnia ex libito necesse est, vbi iuri & æquitati nullus est reliquus locus) mense vno aut altero tardius aut citius, pro vt videtur, torturæ acrius remissiusuè iterantur, alijs semel tantum, alijs bis, ter, quater, quinquies, sexies, ad torturam reuocatis. Torqueri alij solent alio, & huic tribunali peculiari, torturæ genere, quod ignis vocant, breuiore quidem descriptione, at cruciatibus & doloribus nō item. Adferri iubent prægrande quoddam prunarium ferreum ignitis plenū carbonibus, ad quod admoueri faciunt torquendi hominis pedum plantas larido perunctas, vt ignis calor penitius possit penetrare.

Quando omnia iam crudelitatis instrumenta sancti tribunalis & acuerunt & hebeta-

betarunt, neq; a vincto quicquã amplius extorquendi est vlla spes, sinunt eum ad modicum temporis conquiescere. Postea in audientiam vocatum interrogant, inquirunt, & requirunt nouo interrogandi ordine ac modo, verbis singulis eorum quæ antea dixerit, materiam cauillandi suppeditantibus. Quæstiones istæ eo artificio solent esse compositæ (*quoniam in hisce unis residuum uidetur esse Inquisitoriæ spei, ac proinde summo sunt conflatæ artificio*) vt concessa altera, & alterã cõcedere inficiariq; oppositã necesse sit. Patres enim fidei sunt dialectici mirabiles & argutissimi sophistæ in sua arte ac facultate, neq; ingenio in ea palæstra exercitatissimo studium deest, quo indefesso & pertinaci labore eas quæstiones cudunt, quas non conceptas modò mente, verùm etiam, ne quid excidat, interrogaturi per eas vinctum, scripto adferunt, habentq; præ oculis. Itaq; si interrogatus attentissimè cauendi studium nonnihil remiserit, impossibile est in eorum laqueos non incidere. Præsidium hîc fuerit vnicum, eorum quæ apud eos antea deposuerit exacta àc recens memoria: frustra enim petet sibi ea legi, quoniam aut non legent,

aut si legent, summa perfidia. Quod si memoriæ non satis fidit, ad ea quæ antea dixerit, referre se obturatis oculis respondeat, neq; in disputationem cum eis se trahi sinat. Quòd si ex illis ipsis quæ antea fassus est, alia, quæ aut ignorauit prorsus, aut certe non dixit, sua illa dialectica illi deduxerint, etiam atq; etiam videat, quo pacto sibi fuerit respondendum, vt neq; nouum sibi induat laqueum, neq; prodat impiè Dei veritatem. Tutius demum erit rotundo hoc responso fila omnia illis præcidere, se videlicet néq; disputandi artes didicisse, neq; in disputationibus argutioribus fuisse exercitatum. Adeò sunt in ijs disputationibus & quæstionibus mirabiles artifices, captiosi, ac simul molesti atq; improbi, vt haud semel accidat hac vna ratione extorquere eos, quod nullis torturis aut cruciatibus potuerunt.

Comprehenderant Hispali ob religionem piam quandam matronam, quam, combusto marito viro pijssimo, paulo antè viduam fecerant. Verùm quia quod illa fassa fuerat vel in ipsis torturis, quas acerbissimas ab eis tulit, nõ erat satis, vt ob id,

iuxta

iuxta illorum placita, aut combureretur, aut porrò ſpoliaretur bonis: ſi vero fateretur, ſe non ignoraſſe, Eccleſiam Romanam contrarium illius, quod aſſeruerat ipſa, decreuiſſe, id vnum ſatis foret ad illam eis bonis exuendam quæ ād uiduitatē ſuam, néq; citra paupertatem tranſigendam, ſibi erāt reliqua, in hac porrò audientia cauillarum eiuſmodi improbitate potius expugnatam quam circunuentā, ad illud fatendum demùm adegerūt. Quum enim videret, tātæ oportunitatis nullum alioqui finē fore, Sciebam (inquit) Romanam Eccleſiam ita ſtatuiſſe, ſic ergo ſcribite & me demúm miſſā facite, deq; me & rebus meis prout libuerit iā cōſtituite. Illi ad lætum hoc reſponſum muti, eodem modo ſcribunt, neq; enim aliud inquirebant. Quod vero res ita habeat aut nō habeat, quid ad ipſos, modò vinctus illud fateatur, & ipſis cedant ſpolia vndecūq; & qualiacūq; ea fuerint?

ALIAE ARTES INQVIRENDI ET OPPVGNANDI VINCTOS, VT EA FATEANTVR, QVAE INQVISITORES SCIRE EXPEDIT.



Orturarum violẽtia & ſophiſticis atque argutis artib9 modo dictis, vinctorum pertinatia & calliditate fruſtratis, vt ipſi putant, ad alias potiores artes ac fila Patres conuertuntur, in quibus qui præcellit, dexteriuſq; verſatur ſtrenuiſsimus, ác proinde ſupremo loco dignus in ſáctò officio haberi ſolet. Cùm eo, quem circumuenire ſtatuerunt ſpe violentiæ (vt modò diximus) fruſtrata, oſtendunt ſe lenes, miſericordes, charitate plenos, qui eius calamitate & afflictione quàm tenerrimè tangantur. Plorant cúm eo, obſecrantur, conſolantur, conſulunt, finguntq; arcanum quoddam conſilium, quo ex ea calamitate emergat, ſibi dare, quod niſi parenti, fratriue aut deniq; coniunctiſsimo amico daturi eſſet minimè, & id genus alia com-

complura. Hac arte frequentius vti solent cum eis, quos simpliciores minúsq; callidos animaduertunt, sed cum fœminis inprimis quæ, vt plurimum, tanta haud pollent astutia, quanta ad deprehendendum crocodili lachrimas esset opus. Igitur vinctus quùm tanta humanitate se prosequi Inquisitorem viderit, pro indubitato habeat maiore tũ visus acie, perspicatioreq; iudicio sibi esse opus, vt quò tendant istæ fictæ blanditiæ, tempestiuè posit deprehendere, certus meras esse nugas atq; assẽtationes, sub quibus lateãt captiosi laquei, cibus, muscipulæ. Id exemplis (quãdo tot suppetunt) melius ostendemus.

In illo primò incendio, quod ob religionem Hispali octo aut nouem ab hinc annis fuit excitatũ, inter cõplures alios capta fuit pia quædam matrona cum duabus filiabus virginibus & nupta iam ex sorore nepte. His torturas omnis generis constãtia planè virili superantibus, quibus, vt cõfratres in Christo perfidiosè indicarent, ab eis quærebatur, & in primis vt alia aliam deferret, dominus Inquisitor nugatoria illa sua pietate vehementer commotus erga miseras illas fœminas, accersiri sibi alterã è

filia-

filiabus ad audientiam iubet. ibi ſolus cùm ſola orationẽ conſolatoriam opportunam ſanè neq; breuem nimis inſtituit. Ea finita puellam in ſuum carcerem remiſit. Hoc ipſum iterauit poſtea per dies aliquot, ſingulis videlicet diebus aduesperaſcẽte iam die eam ipſam ad ſe adduci faciens, ibiq; detinens, edocens modò quantopere de ipſius afflictionibus doleret, modò alios iucundos & vrbanos ſermones intermiſcens familiariter plus ſatis. Hæc omnia (vt euẽtus ipſe docuit) eò tẽdebant, vt poſteaquã puella ouina ſimplicitate ſibi perſuaderet eum calamitate ſua verè àtq; ex paterno animo affectum, conſulturumq; vt parentem quæ è re & ſalute ſua, matris, & ſororũ, foret, in illius fidem ſe totam conijceret. Itaq; exactis in ea familiari confabulatione diebus aliquot, inquibus iam ipſe cum eà plorauerat illius calamitatem, eiq; ediderat omnia commiſerationis argumenta, quibus de earum ærũnis ſe affectum teſtaretur, atq; item omnia bonæ voluntatis indicia ad eas quoad poſſet, depellendas: quùm (inquam) agnouit lupus ſagax puellam iam deceptam, ſuadere ei incipit vt & de ſe, & de matre & ſororibus & amitis, quę

nondum erant captæ, indicaret, iureiurãdo ei pollicens vt si bona fide aperjret ipsi quic quid ea de re nosset, initurum se rationem qua omnibus illis malis occurreretur, & ad suas domos eas demùm remissurum. Puella, vt erat simplicissimo ingenio, Patris fidei promissionibus & suasionibus allecta, incipit sanctum dare cani, & porco exponere margaritas, nonnulla ad piam doctrinam pertinentia, quæ inter se conferre erãt solitæ, illi declarans. Accepto fili capite, Inquisitor egressum ipsũ é labyrintho dextre prosequi cœpit, puellam ad audiẽtiam sæpe vocans vt iuris ordine ea quæ deponeret, exciperentur, *illi usq; persuadens eam demùm iustam rationem fore*, qua malis omnibus medendum esset. In postrema audientia renouat illi promissiones omnes, quibus antea ei fuerat pollicitus libertatem &c. At quo tempore puella expectabãt præstanda promissa, Dominus Inquisitor cum suis asseclis, animaduersa artis virtute, qua, quod tormẽtis antea non potuissent à puella extorquere, iam ex parte essent assequuti, ad ea exprimenda quæ putabãt superesse, tormentis cum ea rursus agere decernũt, quæ ei tulit omnium sæuissima ad trochleam

scili-

ſcilicet & ad Burrum, quouſq; veluti in torculari ab ea expreſſerunt quas venabantur, tùm hæreſes ſcilicet, tum perſonarum delationes: detulit enim præ ingenti cruciatu puella & matrem & ſorores & complures alios, quibus captis & poſtea tortis, cũ puella porrò ipſa igni fuerũt tradditi.

Hæc eadẽ puella edidit poſtea illuſtriſſimũ quendã actum in fidei ſuæ teſtimoniũ. Is fuit, quòd in theatro illo ſolenni, in quo in publicum ſpectaculum cum alijs ejuſdẽ fortunæ educta fuerat, audita ſua ſentẽtia, in qua damnabatur ad rogum, cum ad locum ſuum, è loco vbi ſiſti ſolet damnatorũ quiſq; ſententiam ſuam auditurus, reuerteretur, ad amitam ſuam veniens, à qua inſtitutionem in fide acceperat, pro cuius confeſſione mox illi erat eundum ad incẽdium conſtantiſsima tum voce tum facie, demiſſóq; modeſtè capite, ingentem ſe illi habere gratiam dicit pro inſtitutionis ſuæ beneficio, veniámq;, ſi qua in re eam offendiſſet, petit, mortem è veſtigio oppetitura. Néq; minore conſtantia amita eam conſolatur, hortata vt præſenti ac trãquillo animo ſit, ſiquidem ante perpaucas horas in cœlis cum Chriſto verſaretur, atq; id ſpe-

ẽtante vniuerſo populo, audientibus conpluribus, *in primis uero ipſo ſancto tribunali cum ſuis. Amita hæc illa erat fœmina quæ furore percita Eccleſiam uniuerſam biennio ante apud Inquiſitores detulerat, qua de re ſupra. Ea beneficio Dei adepta aliquantò ſaniorem mentem & ad meliorem frugem cõuerſa, quatenus per inſaniæ reliquias licebat, Chriſtum faſſa poſt diuturna & ſqualida uincula, torturas, flagra publicè accepta, perpetuos demum in Chriſtiano illo paludamento pro ipſo carceres tulit. Iam ad artes.*

ALIAE ARTES SECRETIORES.



INſequentiũ artium præcellentia poſtulat, nè veluti craſſæ atq; ignobiles in aliarum aceruo reponantur, ſi quidẽ præcedentes omnes tãto interuallo ſuperant, quanto triuialia alia tribunalia ſanctum tribunal. Huius ergo claſsis prior eademq; ſecretior, neq; non ſancto officio pleriſq; alijs vtilior eſt, confeſsionis ſacramentalis, quam putant, abuſus, quod ex

ſuis

ſuis ipſorum canonibus haud leue pecca-
tum eſt: verum, vt antea ſæpe diximus, ſan-
cto tribunali omnia licet. Incidente in ad-
uerſam valetudinem ex vinctis quopiam,
& ſi non grauiter, petunt ab eo an ſacra cō-
feſsione vti velit: id verò in duos fines: al-
terum, vt, probet improbétue ſacram con-
feſsionem, explorent, alterū, an in ea ipſa
confeſsione perſuaderi poſsit, vt vel de ſe,
vel de alijs nonnihil indicet, quo ſancto tri-
bunali ſit quod agat. Aegroto annuente,
mox adeſt ſacrificulus cum ſcriba, eóq; ,
ſcriba ſcilicet, pro ergaſtuli, vbi egrotus de
cumbit, foribus clám relicto, ſacrificulus
confeſsionem auſpicatur. in qua progreſ-
ſus paululum ægrotum interrogat, tum in
genere, tum in ſpecie, lutheranis aliqui-
bus opinionibus ſitne imbutus? præcipuè
verò circa eum vel eum articulum: contu-
lerítue cum alijs de eiſdē ipſis rebus à quo
demum, vel quo pacto acceperit, &c. fate-
atur ingenuè neq; vereatur vllam de ſe per
fidiam, facultatem ſe adferre à dominis In-
quiſitoribus ab ōnibus eum expiandi: exo-
nerat modò ſuam conſcientiam, & cætera
quæ in eum finem afferri ſolent. Si ægrotus
aſſentiatur atq; exequi incipiat eiuſmodi

conſiliū, in naſſam haud dubiè incidit. Poſtea enim quàm ſacrificuli prauo conſilio acquieſcens, quæ ejuſmodi nouit, temerè effudit, ſecundo loco ſacrificulus de inijciendo conſcientiæ ipſius laqueo opportunè agit, vt ea omnia apud Scribam deponat: nullus alioqui futurus expiationis ſuæ locus. Quod ſi perſuadet, accerſitur ſcriba, qui haud longe abeſt, & res exequutioni mandatur. Si verò ægrotus ei aut non credens, aut forté parùm fidens, ea apud ſcribā deponere renuerit, haud ob id laqueos euaſerit magis, quàm ſi depoſuiſſet, quæ acta ſunt adeò alta voce exprimente atq; etiam repetente fraudulento confeſſore, vt facilè eò hominem adduxerit, vt eo propemodum vocis tono illi reſponderit, Scribæ tendiculis pro foribus attentè omnia auſcultātis atq; ſcripto excipientis, neq; cautius obſeruatis, neq; ſane veritis. Eis poſtea rebus eo modo exceptis, hominem aut grauant, aut ex eis certè ediſcunt quid ab eo quæſtionibus grauioribus ſit inquirendum. Manet hîc bonus confeſſor citra omnem conſcientiæ ſcrupulum, & abſq; delicti, aut excōmunicationis metu vllo reuelatæ confeſsionis, tùm quod nihil ſe reuel-

IIII lasse

lasse arbitretur, etsi altius fuerit loquutus, quàm confessionis misteria requirant, tum quòd id quod actum est, qualecunq; illud sit, in sancti tribunalis gratiam atq; obsequium sit factum.

Iulianus apostata, vt summæ fidei histo riæ referunt, bona atq; opes omnes adimebat Christianis, prætextum obducens sacri legio, quod Christus præceperit suis paupertatē diligere, neq; terrenis opibus acquirendis esse deditos. Insectabatur eos, quanta poterat sæuitia, moxq; ad tolerantiam hortabatur, quoniā sic Christus præcepisset. Hoc magistro aliam è suis artibus didicerunt Patres fidei: ea est, cùm aliquē vident Christiana constantia fidem ac pietatem in confratres, quos nouit, defendētem, eum hoc argumento circumueniūt. Tu es, inquiunt, malus Christianus, siquidē vos asseueratis doctrinam Apostolorum, primitiuæq; Ecclesiæ vos insequi: Apostoli verò & martyres illorum temporum, cùm coram iudicibus ethnicis sistebātur, interrogabanturq; essentne Christiani, respondebāt, Sumus. De socijs verò eiusdem religionis cùm interrogabantur, eos candidè nominabant. Si ergo vos eorum exempla

insequi profitemini, indicare vos ipsos, sociósq; deberetis. Atq3 eiusmodi est eorum argumentum. Atqui Iulianus Apostata verum dicit, Christianos terrenis diuitijs cōgerendis deditos, & in afflictionibus incōstantes esse non debere: domini item Inquisitores Christianum hominem ad mundi tribunalia de fide sua interrogatum rationē apertam & perspicuam reddere debere, iure eodē asserunt: verba tamen dant vtriq3 cum dicūt illius temporis Christianos eodem pietatis zelo, quo fidei suæ perspicuā edebant confessionem, confratres indicasse Aethnicis judicibus, illud nunquam permittente charitate. Cæterùm in reliquis, Iuliani atq3 istorum dominorum impietas eadem esse conuincitur, quando in eundem finem eisdemq3, rationibus, id est ad deuastandam Christi Ecclesiam àc eius filios trucidandos per Christianæ Religionis legum irrisionem tendere conantur.

Quidā ex præcipuis, Inquisitor, dicere erat solitus, a quo & alij ex suis socijs cōplures hoc ipsū didicerunt (atq3 vt illa ipsa verba sua, si forte hæc legerit, agnoscere isthîc posit, eum notare ex nomine operæpretiū erit. Ei Ioanni Gonsaluo episcopo

Tar-

Tarraconẽsi Hispalensi Inquisitori erat nomen.) de fidelibus qui ipsius tribunali ob Christi confessionem sistebantur, verba faciens, prodigio esse simile vt hæretici illi sculptum in ipsis cordis penetralibus habeant mandatum illud, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, qui nisi torturis prius excarnificati ac in frusta pene concisi socios indicẽt nunquã, ac neq; sic quidẽ illud semper a compluribus ex ipsis assequaris. Adeò illustria testimonia vel à suis hostib9 vera habet Religio. Lex enim Dei quoad vtramq; eius tabulam est in verorum Christianorum cordibus exarata, atq; adeò obsignata quemadmodum reuerentia sua dixit. Extra ipsos hęc legis Dei obsignationis firmitudo nusquam reperitur omnis carnis legibus hoc sigillo obsignatis, Primum mihi, Secundum tibi. Ac pudere maximè debebat Christianum videlicet episcopum, eius rei habere tam supinam ignorantiam, neq; integrum foret, nisi etiã foret cum pari blasphemia coniunctum.

Is ipse dominus Episcopus (quando in eius mẽtionẽ incidimus) à regia curia Hispalim ad exequẽdũ Inquisitoris munus missus fuerat, quùm præteritis ãnis in ea vrbe

repente erupit illa fidelium multitudo, ex qua etiam ad hunc vsq; diem ingentes pyræ statis diebus extruuntur. Qui enim antea ibi fuerant Inquisitores, haud adeò strenui ac solertes atq; iste vnus in Inquisitorijs artibus habebatur, qui posse occurrere tanto grassanti malo, & Romanæ Ecclesiæ ruinæ impendēti existimarētur. Quæ in ipso suspiciebantur dotes ad eiusmodi exequendum munus, testetur ille ipse, testentur qui eum ad id muneris delegerunt, testētur porro quicunq; ipsum norunt, fueritne vel eminens in ipso doctrina, atq; in sacris literis eruditio, solersue atq; exacta notitia tum historiarum Ecclesiasticarum, tùm lucubrationum veterum & recentiorum doctorum, quorum authoritatem meritò Ecclesia veneratur, peritiáue insignis rerum ac doctrinæ fidei, cuius Inquisitores appellari patres volunt, & cuius aut errorum aut veritatum se iudices tàm ambitiosè profitentur, aut deniq; fuerit spectata quædam pietas àc sanctimonia (de qua certè adeò sibi blandiuntur, vt illustrem inde ac plausibilē desumāt titulū) quibus dotibus inter suos commilitones esset maximè cōspicuus: quin potius quòd eos ōneis crudelitate, inhumani-

tatè atq; adeo Inquisitorijs artibus omnibus præcelleret, pro quibus, & militiæ illius vacationem, *& pinguem episcopatum in exacti laboris præmium ueteranus miles adeptus esset: atq; ex eo pingui otio fatale illud Romanæ Ecclesiæ malum ad pristinam militiam reuocauerat.* In ea autē legatione Hispalēsi, quo tempore vinctorum pro Euangélio habebat plenas priuatas domos, publicis carceribus ad tantum capturæ prouētum minimè sufficientibus, haud deerat Reuerendæ suæ dominationi tempus ac otium ad deambulandum animi gratia per flumen in cimbis purpura & serico adornatis atq; eo demum apparatu qui discipulum quempiam Sardanapali deceret potius, quã modestũ virum, ne dicam Episcopum Christianum, musis quibusdam, sed illiteratis, comitãtibus & multo famulitio in non prope distãtes hortos, bona interim populi parte ad spectaculum concurrente. Et sanè triumphi illi ac lætitiæ haud erant intempestiue sibi & suis in illo rerũ statu, qui Ecclesiæ Dei, cuius ipse truculentus hostis erat, luctu, mœrore a lachrimis, atq; afflictione adeò foret plenus.

Igitur ad artes reuertentes, quum probi isti domini cupiunt de aliquibus ex vin-

ctis indicium certum capere, quos in vno eodemq; carcere degentes doctrinæ salutaris quippiam ad se inuicem adhortandos, consolandos, in tanta demum calamitate constitutos fide erigendos conferre simul suspicantur, submittunt inter eos Muscam aliquã, (sic enim appellare vincti eum solent,) qui eiusmodi fungitur officio. Is inter eos ab Inquisitoribus fraudulẽter cõiectus, vincti nomine callidissimé obseruat quæcunq; loquuntur. Exactis verò inter eos diebus aliquot, per quos in eorum familiairitatem sese dolosé insinuauit, incipit nonnullos doctrinæ locos leuiter ac veluti extremis digitis attingere, simulans se aut discendi ab alijs cupidum, aut eos demùm edocendi, atq; ea ratione simpliciores quosq; & ab eiusmodi fraudulentis insidijs minus sibi cauentes facile decipit. Ergo qui harum artium admoniti iam erunt, neq; citò neq; facilè illis fiderint, qui in ipsorum consortium ignoti sibi antea conijcientur. Ac Muscam sané hoc vno facile agnoscent, deprehendentq;, quod vt plurimũ ipse ad eiusmodi colloquia sese ingerit haud à quoquam prouocatus, incipitq; vel intempestiuè eiusmodi sermones de doctri-

na

nā excitare: ac tùm quidem prudēter fecerint, si concionari eum siuerint vel ad lassitudinem, nullo ab eis responso excipiente contionem. Is cùm quidpiam eius quod concupierat è concaptiuis fortè collegerit, custodem carceris vinctos pro more inuisente orat, vt audientiam sibi dari petat, vt moris quoq; est vinctos agere, atq; ea demùm ratione sibi egressū aperit, neq; multò post societatis ipsius fructus, qui in carcere manserunt, coguntur experiri. Res est profectò admiratione digna, esse homines adeò Satanico ingenio præditos, qui eiusmodi officijs operam suā vltrò locent, vel tāto cum suo ipsorū dispēdio, qui vt fiāt porrò votis cōpotes, duorū vel triū etiam mensiū arctissimū carcerē nō morētur vincti cum vinctis, atq; molestias illas omnes carceris, tum famis, tum sordiū, & pedoris, quas vincti inuiti ferre solēt, libēter ferentes: &, quod magis miremur, è vno carcere egressi é vestigio aliū ingrediātur, atq; inde tertiū, bis, ter, quater, easdē vsq; molestias repetituri, ac in eo demū delicjarū orbe trāsacturi vitā. Itaq; is cùm è carcere egreditur muneris sui rationē redditurus, haud indicat modò quod inter vinctos audiuit: Verū quo vultu vincti exceperint quæ

diantes ac prædictis artibus circunuenientes quos in populo hæresis Lutheranæ, hoc est piæ doctrinæ suspectos habent, pleræq; etiam ex Muscis istis adeò sublimè volant, vt traiecto mari in externa ac remota regna penetrantes eis insidiantur qui Hispania excedentes ac vltrò exules, tutiores alibi sedes delegerunt, adeo scilicet vehementi, tum gloriæ Dei, tum salutis hominum zelo flagrant Patres Inquisitores. Verùm vt de his tantùm agamus, quæ intra ipsas Hispaniæ vrbes, in quibus Inquisitoria tribunalia erecta sunt, circumuolitare consueuerunt, complures ex eis qui à sacris confessionibus sunt, tùm clerici, tum monachi, in hoc Muscarum ordine haud infimum tenent locum. Quos si accedat simplicior quisquam, quem Deus sua luce collustrare cæperit, atq; is in confessionis suæ progressu sententiam suam exponat dubius, certúsue, edoceri aut confirmari cupiens, non solùm extinguere suis tenebris conantur diuinam lucem, quæ in mente illa irradiari cæperat, verum ex ijs alij hominem hortantur, obtestantur, diris etiam comminationibus ei nituntur persuadere vt sanctum tribunal ipsi adeant se ipsos

delaturi, omnem illis benignitatem dominos Inquisitores præstituros pollicentes. Fit demum non semel vt ea ipsa ouis in luporum ora hac ratione sese obtrudat nonnunquam sæuitia plane lupina dilanianda. Alij alia arte inhumaniore & sanè ex Inquisitoria officina mutuata, vti solent: percepta incauti hominis, ac eiusmodi perfidiam in sacrosancta cõfessione & à Sacro in primis viro minimè verentis, opinionis suæ sententia, dissimulant inpræsens, neq; refragantur: monent tum vt in crastinum redeat, futurum enim sibi tum plus otij ad eum peraudiendũ, deq; ea re agẽdum liberalius, quam tunc sit, atq; ita dimidiata, aut malè demum finita confessione, eum mittunt, consilium ipsorum est vt reuerso sequenti die misello, & de negotio eodem extra confessionem cum ipsis fusius agente, liberum eis sit citra reuelatę confessionis noxam ad Inquisitores illũ deferre, neq; consilio deest executio, euomentibus culicem religiosis scilicet viris, camelum verò deglutientibus.

Ex eo fraudulentorum hominum ordine nonnulli adeò vtilem ac frugi operam nauarunt Inquisitoribus, vt & si errore au-

incuria (vt sæpe accidit) aliquá effutierint quæ alijs apud sanctum tribunal ignis supplicium confecissent, eáq; haud multo labore irrefragabiliter aduersus eiusmodi homines comprobari posśint, tamen patres Inquisitores ea facilè dissimulare, prudenterq́; ferre solent, iacturam multo grauiorem ex prouentuum amisśione, quos istorum opera recipiunt, se facturos arbitrantes, quàm lucrum fuerit, quod combustis illis ex ipsorum spolijs essent percepturi. Ex istis, aliquot suis nominibus notare possemus, & sanè impietatum suarum causa, in hoc genere officij digni fuerint, qui ex nominibus agnoscerētur, vt præsenti atq; futuræ ætati innotescerēt: cæterùm parcendum nominibus censemus, summam Dei tum potentiam, tum bonitatem considerantes, quo fortasśis illorum olim miserto, ac pœnitentiam salutarem eis concedente (id quod aliquibus iam cōtigisse scimus,) sera atq; inutili pœnitentia tangeremur, quòd nostra opera, culpa sua licet, infamis atq; in posterùm execranda eorum memoria Ecclesiæ traderetur.

Enimuerò istorum non pauci habuerunt in initio veritatis cognitionem, quin

etiam nonnulli ex ipſis alios eam docue-
runt: verùm cùm primùm exortam tem-
peſtatem conſpexerunt vniuſcuiuſq; ædifi-
cium exploraturam, ſabuloſóne an firmio-
re, ſaxe q; niteretur fūdamēto, referre pe-
dem tempeſtiuè decreuerunt. Atqui cùm
apud complures in ſuſpitione ſe eſſe certò
ſcirent, viſum eſt eam notam haud aliter
poſſe elui, quàm ſi delatores atq; inſidia-
tores fratrum, familiares verò atq; impi-
gri miniſtri ſancti tribunalis profiterentur.
Hac demum ratione vidētur ſibi ſatis con-
ſuluiſſe rebus ſuis apud dominos Inquiſito-
res: attamen qualem conſcientiam, quali-
áue horribilis iudicij Dei eos manentis te-
ſtimonia intus gerant, ipſi melius norunt.
Iſthæc veluti per tranſennam hoc in loco
profuerit indicaſſe, vt animaduertant ho-
mines, primū, haud re vera eſſe zelum puri-
ficandi fidem atq; extirpandi hæreſes, qui
dominos Inquiſitores ad has lanienas per-
cellit: quemadmodum & præſeferunt ipſi,
& imperitum vulgus de ipſis ſibi perſuadet,
& ſi demus hæreſes re vera eſſe, in quas tā
ſeuerè animaduertunt. Namq; ſi ita eſſet,
neq; ijs quidē pepercíſſent, qui alioqui tan-
to cum ipſorum lucro, vt modo diximus,
ſibi

ſibi famulantur. Zelus porrò eſt regij fiſci & crumenæ ipſorum: ad ſuperiorem verò cauſam, quæ eos mouet ad ſupplicia, mortes, torturas tot innoxiorum hominum, ſi oculos intenderimus, atq; ad dolos, fraudes, mendacia, perfidias, ac ſatanica planè ſtratagemata quibus ea procurant, œſtrum eſt ipſius Satanæ homicidæ filiorum Dei, mendacij ac eiuſmodi artium parentis à principio. Quis enim adeò cæcutiat, vt nõ videat hanc ipſorum agendi rationem ex alio ſpiritu prognatam eſſe non poſſe? aut quis erit adeò blaſphemus, qui eam ſpiritui Dei acceptam ferat? Proderit deinde hæc admonitio, vt pij quoq; commonefiant, inſpiciant diligenter quibuſcũ agant, quos ad ſuam familiaritatem admittant, neq; quibuſuis porrò fidant: ſiquidem ſi quando alias, in aliquóue negotiorum genere verũ habuit quod eſt apud Hieremiam, omnem videlicet fratrem ſupplantando ſupplantaturum &c. hoc imprimis tempore, atq; in his præcipue rebus iure dici poteſt.

Habent domini inquiſitores Stratagema aliud, quo, & ſi fortuitò & ad dubiam ſanè fortunam ſuos hamos inijciant, tamẽ opimam, vt plurimum, capturã extrahere

consueuerunt. Cùm insignem aliquem virum cœperint, quem aut complures docuisse, aut certé à compluribus doctrinæ atq; eruditionis ergô frequentari solitum fuisse sciunt, cuiusmodi fuerit, doctor, concionatorue quispiam magni nominis, illis de more est per familiares suos, rumores in vulgus spargere, eum virum torturis grauibus affectum plures è sibi addictis prodidisse, subornatis quoq; ad eius rei fidem faciendam ex carceris vicinia nonnullis, qui asserant hominis clamores inter torturas editos se audiuisse. Vulgantur hi rumores ex sáncto artificio in hunc finem, vt qui eiusmodi vincto vsi fuerint doctore, aut quoquo modo illi fuerint familiares, tempestiuè adeant sanctum tribunal fatentes culpam, & misericordiam implorãtes, antequam accersantur, aut cõprehendantur. Iam enim vulgo persuasserũt, qui sese prodiderint nõ accersiti, aut vocati, mulcta vlla aut saltem quã leuissima (pœnitentiam vulgò vocant) à sancto tribunali affici nõ solere. Hac demum ratione plerisq; imponunt, qui si ab eis accersiri expectarent, nunquam fuissẽt accersiti: aut si fortè accersiri contigisset, haud seuerius cum ipsis actum foret, quàm

cum Inquisitoriam fidē sequutis agi solet.

QVOMODO CVM CAPTIVIS AGATVR QVO AD VICTVM.


Odus quo vincti, quo ad victum & cætera vitæ subsidia, in Inquisitorijs carceribus tractari solent, existimationi quam domini Inquisitores eiúsq; sanctæ officinæ ministri reliqui de ipsis habent, per omnia respōdet. Vulgo eorum existimantur canes, hæretici: itaq; eodem modo agi cum ipsis solet, haud quo cum suis canibus agūt homines ex quibus nonnihil aut vtilitatis, aut voluptatis capiunt: verùm quo homines cum eis hominibus agere consueuerunt, quos in ludibrium humanitatis pro canibus ducunt, canesq; appellant. Neq; hic tractatus extra locū, oleasue isthîc erit. Inseruiet enim pijs, primùm, vt eos non lateant fratrum suorum ærumnæ, quibus etiam, pro vt poterunt, communicent. Deindè vt quid eos

ferendum maneat, quos Deus in hoc ſeruat, vt in hoc glorioſisimi obſequij genere, confitendi ſcilicet coram mundo ipſius nomen, ſibi famulentur. Tertiò demum, vt illa ſanctorum fidei patrum plus quam barbara ſeuitia inter alias, quas de ipſis, deq; ipſorum tanto piorum ſanguine fædato tribunali conditiones recenſemus, toti orbi innoteſcat. Beatus ille ac re vera fœlix Cõſtantinus Hiſpalenſis concionator (beatum enim iuxta Solonis ſententiam voco, cuius exactam cum laude atq; honore vitã obitus demùm fœlix excepit) dùm in hoc carcere, vt ſuo loco dicemus, ob Euangelium Chriſti coniectus, barbariem ipſius experiretur, vel torturarum cruciatibus nũquam delibatis, quæſtus calamitatem, ad Deum clamorem ſæpe intendens, Mi Domine, (inquiebat) deerantne in mundo Scithæ, aut his crudeliores immanioreſq; Cannibales in quorum manus, ne in iſtorum vngues inciderem, me coniecjſſes? Olmedus alter inſignis tùm pietate tùm eruditione vir, qui ob piam doctrinam, in qua erat inſigniter eruditus, in Inquiſitorum manus Hiſpali inciderat atq; illius inhumanitatis tantũ cauſa quæ vna Conſtantino quoq;
mor-

morté conciuerat, primũ grauiter decũbẽs ac inter ipſas ſordes & pędorem demum obijt diem, dicere quoq; erat ſolitus, quacunq; libuerit mi domine me præcipité trahe, neq; iſtorum manibus me tradas oro. Namq; modus quo tractari ſolent qui ibi conijciuntur, is eſt, vt perpetua quædam tortura quàm carcer dici potius mereatur.

Primò, locum, qui priuatus ſingulis carcer eſt, anguſtia, pedore & ſi inferne eſt, humiditate ſepulchrum, quàm viuorum carcerem rectius dixeris: ſi supernè, ob nimiũ æſtiuo tempore calorem fornaci eſſe perſimiliorem. In ſingulis iſtorũ ſepulchrorũ vt plurimum, (in fœcundis præſertim capturis, cum ergaſtulorum copia captorũ multitudine ſuperatur) bini aut terni vincti cõijci ſolent, quibus ad ſomno concedendum iacentibus, præter pedalem fortaſsis, qui excrementorum cedit matulæ, & frigidæ cantharo ad extinguendam ſitim, nullus amplius ſupereſt in ſepulchro locus. Quũ dies eſt, præter eam quæ per foramen pomo arantio minus, oblongamve feneſtellam digito non latiorem ſupernè miſeros inuiſit, liberaliore luce frui non licet. Sunt ſanè ampliora aliquãto quædam ergaſtula,

atqui ea haud paruo cõstant, ac tum quidẽ ijs modò inseruiũt, de quorũ religione nõ habetur existimatio omnino mala. *Sunt etiã prioribus illis angustiora quædam, eáq; horridiora, ut pote quæ iacentem hominem uix recipiant, unde, qui ibi conijciũtur, haud exeunt nisi dira tabe semiputridi, quæ omnia conclauium genera iuxta uinctorum dignitatem meritumuè, sæpius uero iuxta Inquisitoris ipsius, aut custodis demum carceris uel odium uel amicitiam dispensari consueuerunt. Atq; hactenus de loco.*

Victus ratio loci prorsus rationem sequitur. Diuites vincti per amplas pensiones Sancto officio soluunt, personæ vincti ratione habita pro ipsius Sancti officij arbitratu. Ex ea pensione triginta dipondia (marauedis vulgo vocant, 17. constituunt bationem Germanicam. octo cum dimidio, Gallicum solidum. 10. Brabanticum Stuferum) ad singulorum dierum expensas omneis vincto cedunt, quod si lautius velit helluari, licebit quidem, sed ex suo: Neq; ea indulgẽtia cum vinctis cuiuscũq; cõditionis agi solet, sed cum illis tantũ quorum ex asse prædam Inquisitores non sperant, quòd ob leuicula quædam capti sint. Eos enim quos amissione fortunarum omnium

nium damnandos ex ipſa eorum delatione agnouerunt, nequaquam adeò lautè viuere permittũt panè atro & a qua breui, etiã ſi fuerint ditiſsimi, eos alentes, neq; extra ordinarium aliquem quacunq; in re ſumptum facere illis permittentes, certi tantundem ex fiſcalis præda deceſſum iri ſibi, quò cum ipſis egerint liberalius. Quos verò ceperint pauperes atq; adeò tenui fortuna, vt quo in carcere ſeſe alant, non ſuppetat, victum habent à rege ipſo conſtitutum, dimidij ſcilicet nũmi argentei (dimidium realem vocant, Germanicam bationem, hoc eſt, ſolidos Gallicos duos continentem diebus ſingulis: àtq; ex ea tãtula pecunia ẽptori victus (diſpenſator illis eſt) ac fulloni, & ſi quos præterea habuerint ad cõmunia vitæ ſubſidia neceſſarios ſumptus, ſoluẽdũ eſt. Præterea, hoc ipſum vinctorũ regiũ dimenſum, ſeu potius ſtipẽ, ad eos ipſos quibus eſt cõſtitutum, non peruenit niſi per cõ plures neq; eas ſatis fidas manus corriuatũ Receptoris primũ, ſic quæſtorẽ (credo vocãt eum ſcilicet qui aſſeruatã apud ſe fiſcalẽ pecuniã in vſus poſtea exponit atq; hoc munus in ea Sãcta officina eſt in primis quæſtuoſũ neq; cõmitti ſolet niſi magna gratia ꝓſequutis.

Dis-

Diſpenſatoris deindè, hoc eſt emptoris victus ſiuè anonæ, qui pecuniam dubia ſemper fide expendit. Tertiò quoqui:qui eſcas parat,poſtrema demùm decumatio eſt cuſtodis carceris, qui ex peculiari ſuo munere eaſdem inter vinctos diuidit. Iſtud verò adeo acurate recenſuimus , quoniā omnes iſti viuunt , habentq; certos ſuos prouentus ex modico illo vinctorum regio ſtipe, qui per iſtarum harpyarum aduncas manus deriuatus, niſi à ſingulis pluſquam decumatus , ad vinctorum manus non peruenit. In hac enim ſchola cùm magiſtri tùm miniſtri à primo vſq; ad poſtremū omnes auaritiæ,imò rapinæ, ſtudēt. Quòd ſi quādo accidat ex ſingulari dono Dei ex ipſis quempiam miſericordia tangi erga vinctorum miſerias , quas & vel ex ipſa humanitate,officio aliquo ſubleuare conſtituat,piaculum hoc fuerit in Sancta officina longè grauiſsimum, idemq; citra verbera & ſanguinem omninò inexpiabile.

Conſtitutus fuit paucis ab hinc annis Hiſpali in cuſtodem arcis Trianæ, qui Inquiſitorius eſt carcer,vir quidā haud omninò malus (necdū enim inſignis auaritiæ àc crudelitatis Sanctæ officinæ leges in pectus admi-

admiserat) humanꝰ alioqui, néq; prouectæ ad huc ætatis. Petro a Herrera illi erat nomen. Is qua poterat humanitate in suo munere prosequebatur vinctos, sed clàm, ac dissimulanter, Inquisitoriæ barbariei nõ ignarus. Contigit, vt in fœcundis promiscuisq; capturis solet accidere, vt inter alios vinctos custodiæ suæ demandatos, haberet probam quandam matronam cùm duabus filiabus, quæ diuersis in carceribus degentes, se inuicem videndi ac mutuò in tanta calamitate cohortandi magno desyderio tenebantur. Ergo custodem illum obsecrant, vt eas vel ad quadrantem horæ esse simul pateretur, tantisper videlicet dum se mutuó complectuntur. Ille, qua erat humanitate, misericordia commotus effecit vt ad dimidium horæ simul essent, colloquerentúrq;, ac posteaquã maternis affectibus nonnihil indulserunt, in suũquamq; ergastulum, prout antea erant, reducit. Elapsis postea paucis aliquot diebꝰ, quùm eædem acerrimè torquerentur, custos veritus nè qua ergâ eas absq; Inquisitoris iussu simul colloquendi ad dimidium horæ fuerat vsus, tantulam illã suam humanitatem dominis patribus per sæuissima tormenta
pro-

proderent, metu correptus adit Sanctum tribunal, fatetur vltrò piaculum, precatur veniam, impendentem sibi ex facto pœnā anteuertere confessione sua stultè credens. At domini Inquisitores, quorum institutum est ab omni prorsus humanitate abhorrere, adeò graue crimen factum illud iudicarunt, vt eum è vestigio in ergastulum quoddam trahi iusserint, in quo ex summa tùm sæuitia qua cum ipso est actum, tùm animi ægritudine inde concepta, atra bili redundante in furorem incidit: neq; propterea eius furor & infirmitas eum à grauiore mulctà liberarunt: siquidem post annum in diro carcere exactum in triumphale illud spectaculum eductum lutea veste insignitum & resti ad collum latronum more alligato, ad ducēta verbera per vrbis vicos & plateas primum ferenda, deinde ad sex annos ad transtra damnauere. Insequenti autem a triumpho die quum ab arce Trianna flagellandus consueta solennitate veheretur, corripit miserum hominem furor alternis horis eum miserè corripere consuetus, qui ex asello, quo ad igno miniam vehebatur, se deiiciens, in Alguazilium Inquisitorium irruit, illumq; arrep-

to ab eodem ense haud dubiè occidisset, nisi è circumueniente turba continuo comprehensus asello rursus imponeretur, eoq; accuratius obligato ad repetenda flagra rediretur. Acceptis, iam ab eo ducentis flagris, iusserunt domini Inquisitores, vt quando in ipsorum Alguazilium immodestè se gessisset, quatuor ad transtra anni sex prioribus adderentur, adeò solent patres fidei benefacta ac pietatem, aut etiam humanitatem sæuitia summa compensare, neq; vel insanire apud eos licet.

Hunc arcis custodem alter præcesserat Gasparus Bennauidius nomine, portentosæ auaritiæ àc sæuitiæ homo, quando eò peruenerat nequitiæ vt miseris vinctis malè coctas ac toties decumatas escas bona parte defraudaret, furtumq; Triannæ diuēderet haud magno pretio: eam prætérea pecuniolam quæ ob purgāda vinctorum indusia fulloni debebat cedere, insolidum auerteret, neglecta ad complures dies illa qualicunq; munditie vinctorum, deceptisq; ipsis tum Inquisitore tùm quæstore, recipientibus eam (animaduerte quæso tum eorum in suis officijs peragēdis negligētiā, tū custodis istius summā perfidiā)

pecuniam in rationes ab ipſo Cuſtode, ac ſi in vinctorum vſus, in quos deputata fuerat, ſingulis ſeptimanis expēderetur. Neq; difficile alioqui erat in rei veritate perquirenda non admodum laborantes decipere. Si fortè vinctus quiſpiam intollerabili iniuria laceſsitus conquerebatur, muſsitabat, hiſcebatue, ſæuo homini & omni humanitate exuto remedium in promptu erat. Eductum videlicet ex eo carcere eiuſmodi vinctum in profunda quapiã ciſterna aqua vacuam (mazmorram vocant) detrudebat, ibiq; eum per dies aliquot detinebat ſolū, nihil ad cubandum nè ſtramen quidem cōcedens, victus verò illius adeò ſolebat eſſe corruptus, vt non ſaluti aut ſuſtinendæ ſaltem vitæ, ſed morbo potius corrumpendæ aptior videretur: atq; id omne inconſultis prorſus ipſis Inquiſitoribus, quorum tamen iuſſum apud victum fraudulenter àc malignè obtendebat. Si quiſquam ex ſumma iſta iniuria per eum affectis queſturus apud inquiſitores ipſum precabatur (néq; enim, vt ſupra dictum eſt, per alium licet) vt audientiam ſibi dari poſtularet, callidus homo in caput ſuum fabam cudi facilè coniectans ſimulabat ſe petijſſe, neq;
eius

eius petitioni tùm esse locum, atq; eiusmodi confictis responsis detinebat miserum hominem in profundo illo puteo ad duodecim aut quindecim dies, plus minusue, quousq; demum existimabat iræ & sæuitiæ suæ satisfactum. Dein eductum indè restituebat pristino carceri, illi persuadens, humanitati atq; operæ suæ, qui eius commiseratus apud dominos suis precibus pro illo intercessisset, illud beneficij esse tribuendum. Summa. Furta ipsius ac iniuriæ quibus vinctos alioqui satis miseros afficiebat, fuêre eiusmodi, vt qui eum apud Inquisitores seriò accusarent viri alicuius apud eos ipsos authoritatis porrò non defuerint. Itàq; vincitur, ac complurium sycophantiarum peractus reus dominorum tamen Inquisitorum clemētiam in ipso iudicio est expertus, eum pro sacro sancti corporis sui membro fideliter agnoscentium. Sententiam tulit, haud qualem alter, qui ei suffectus matrē cum filiabus colloquij atq; affectus gratia ad horædimidium vnà coniunxit, etsi ob patrata ac comprobata scelera, quæ alter postea ob pietatem tulit, ferre meruisset. Sed quid lectorem remoremur? In theatrale spectaculum egredi

ſum ceream candelam manu ferentem in exilium quinq; annorum ab vrbe mittunt: & quando à ſuis etiam fiſcum expetunt, ea pecunia mulctari iubent, quæ èx officij mercede à Sancto tribunali foret accepturus: atq; ita demum ſatiſfactum pòtius illis eſt, qui eum accuſauerant, quàm voluntati ipſorum in eiuſmodi flagitia in membris ſuis deprehenſa animaduertendi.

Is idem impius carceris cuſtos habuit in ſua familia, dum eó munere in arce fungeretur, famulam quandam ætate prouecti orem quæ obſeruata vinctorum afflictione ex nequitia àc barbarie heri ſui, fame & *ſqualore penè intollerabili laborantium, commiſeratione permota (neq; enim ab* Euangelica *pietate abhorrebat) eos pro carcerum foribus alloquebatur, conſolabatur, àtq; prout poterat, hortabatur ad tolerãtiam iniectis ſæpe ſubtus fores cibis pro tenuibus ac debilibus conditionis ſuæ uiribus pijs ſermonibus obſequia quoq; pia coniungens. Atq; eius fœmi*næ virilis pietas eò erat ſpectatior, quò, cùm nihil haberet de ſuo vnde erga vinctos Chriſti tàm eſſet liberalis, ab impio fure hero ſcilicet eſcarum quos ipſe à vinctis furatus fuerat bonam rurſus partem fura-

batur, quam vinctis restituebat. Et quò magis miremur Dei Prouidentiam, quæ ex pessimis parentibus non semper dat pessimos liberos, nonnunquam optimos, in istis pijs furtis ferebat illi opem singularē paruula quædā filia ipsius heri sui. Istius eiusdem fœminæ opera vincti de aliorum conuinctorum fratrum statu rerum subinde fiebāt certiores, quod & solatio ipsis & causis quóq; ipsorum adiumento erat. Ergo innotuit res dominis Inquisitoribus, à quibus, post vnius anni carcerem in quo eandē cum vinctis alijs fortunam experta est, in spectaculo theatrali, sententiam demum tulit vestis luteæ, ac ducentorum flagrorum quæ in sequenti die per vrbis vicos consueta tùm pōpa tum crudelitate accepit, quibus accessit exilium decennium ab vrbe & ipsius tractu. Titulus fuit, Fautrici atq; auxiliatrici hæreticorum. Commouit aduersum se implacabiliter dominorum patrum fidei indignationem, quod inter quæstiones indicatum est, eam quibusdam vrbis ciuibus, quo ad victus rationem quæ cum victis agebatur, Socrosancti tribunalis arcana reuelasse. Exemplum hoc adiunctum præcedenti de heri sui impietate, &

 de

de pœnis de vtròq; ſūptis Sacroſācti tribunalis æquitatē in puniēdis ſceleratis, declarat ſatis. Nulla trāſtra, nulla deniq; carcerū genera ab hominib9 excogitata fuêre hactenus, in quibus canendi libertas non ſit miſeris reſeruata, liceat modò per calamitatis acerbitatem ſenſum omnem lætitiæ nonnunquam occupantem, vt cantu ſaltem diſtendatur dilateturq; aliquanto mœſtitia atq; ęgritudinæ fatigatus animus. At ſāctū Tribunal quotquot hactenus in torquendis mortalibus ſæuitiam atq; inhumanitatem ſuam exeruerunt, excellit, quandoquidē ad priuandos in tanta ærumnarum acerbitate tātulo hoc ſolatio miſeros vſq; pertingit. Si ex vinctis quiſquam vt cunq; præſentem leuaturus calamitatem canere incipiat pſalmum aliquem, recitaréue ſacrarum Scripturarū nōnihil, quo maiore illi ſolatio, eò grauius atq; intollerabilius illud fuerit dominis Patribus fidei eorumq; miniſtris: néq; enim leue exiſtimant rerum ſuarum incommodum, ſi vincti lætiore aliquanto animo fuerint: eſt ſiquidem eorū demū inſtitutum, vt in perpetua atq; nullo lætitiæ genere interrupta vnquam mœſtitia atq; afflictione illi ſint. Itàq; cùm quē-

piam ex vinctis aut canere, aut silentio altius loqui audiuerunt, illicò adest ex Furijs illis vna & altera, Scriba scilicet cũ ipso carceris custode, qui hilaritatem cohibeant ex patrum iussu, pœna excommunicationis denuntiata, quam si contempserit, atq; , vt re uera est, ridiculum duxerit, lupato in os accepto cogetur obtemperare, pro rebelliq; habebitur, ac Patrum authoritatis nefario contemptore: neq; loquatur nisi voce admodum depressa: atq; in quem tonum sit deinceps loquuturus, exemplũ ipsi præeunt. Atqui hoc in duos præcipue fines. Alter vt solatiũ omne genus afflictis præcidatur, quemadmodum dictum est: alter, quoniã experiẽtia ipsa didicerunt veteratores scilicet, eiusmodi Psalmorum aut aliorum locorum Scripturæ sacræ cantionibus sese mutuo vinctos consolari, adhortari, ac propemodũ iacentem sociorum fidem erigere vel in diuersis longè carceribus constitutos. Cauent præterea Patres hoc silentio ne cantu aut altiore sermone mutuó se *agnoscant uincti. Accidit enim sæpenumero ut exactis in Inquisitorio carcere binis, aut ternis annis amicus de amico, pater, de liberis & uxore in eodem carcere detentis, prorsus ignoret, quousq; in die spe-*

& aculi ſeſe mutuò conſpiciant. Atq; hac in primis de cauſa (vna ex cōmunibus ac vſitatis quæſtionibus in audientijs eſſe ſolet, an ſecum inuicem colloquantur vincti ex diuerſis carceribus, aut ſeſe mutuò agnoſcāt) quod ſi ita eſſe deprehenderint, commutātur cōtinuó carceres, ac noua demū quæſtio, vt pilum ex pilo, texitur, ecquid fuerint colloquuti, quáue de re mutuo ſeſe cōmonefecerint.

Ea eſt demum erga vinctos totius victus ratio, vt qui ex illa miſerias non egrediuntur ad rogum, vt plurimum aut in illo carcerum pedore animas exhalare ſoleant, aut ſæuo illo morbo, quem Gallicum vocant vulgo bubas, ex victus & humorum corruptione contracto egreſsi cōtabeſcāt, aut ex atrę bilis redundantia in inſaniā incidant, aut deniq; peſsimo corporis habitu ſint vtiq; diſpoſiti ad has eaſdē ægritudines, aliaſue grauiores ſibi poſtmodum cōciliandas, in quibus perpetuò contabeſcētes vitam trahant miſerabilem planè, ac ipſa morte duriorem. Ex compluribus exēplis quæ ex vna Hiſpalenſi Inquiſitione in eam rem adduci poterant, vnum modò deligemus, quod in ſingulari humanitatis

exem-

plum in omnibus hiſtorijs referre dignum cenſeamus.

Appulit paucis ab hinc annis in portum Gadditanum aut Sancti Lucari (quod vocant) nauis quædam Angla quam cùm Familiares Inquiſitionis, ante quam ex ea quiſquam ad terram deſcenderet, pro more religionis ergô viſitarent, nonnullos ex Anglis qui in ea erant ob edita Euangelicæ pietatis àc melioris inſtitutionis certa indicia compreheſſos in carcerem ſecum deduxerunt. In ea naui erat quidam puellus decem aut ad ſummum duodecim annorum, Angli cuiuſdam prædiuitis filius, vt pote ad quẽ (vt ferebatur) cùm nauis tùm mercium omnium pars præcipua pertinebat. Inter alios ceperunt quoq; hunc puerum. *Prætextus fuit, quòd librum Pſalmorum Dauidicorum Anglicè in manibus haberet: at qui iſtorum & auaritiam & artes peſſimas ut cunq; norunt, citrà ullam ſanctæ Inquiſitionis iniuriam piè credent, ſubol factas paternas opes, captiuitatem, & quod poſtea ſubſequutum eſt calamitatis puero peperiſſe.* Igitur naui cùm mercimonijs omnibus in Secreſti rationes redacta puerum cum alijs captiuis Hiſpalim in arcem Inquiſitoriam ducunt, vbi exegit ſex aut octo mẽſes. Por-

ro pietatis doctrinam quam à pijs parentibus puer acceperat, in tenero eius animo adeò altè Deus inseuerat, vt vel in tam præ duro carcere atq; in tenerrima illa ætate tanta afflictione occupatus, illustria de eadẽ pietate testimonia edere haud obliuisceretur, crebrò, sed manè in primis ac vespere ocellis in cœlũ sublatis, vndè auxilium sibi certũ postulare ac sperare edoctus fuerat, precès fundens. Conspicabatur nõnunquam in eum modum orantem ipse custos carceris, próq; rubore illo quo paganismi sui eiusmodi exemplo pietatis ob oculos posito pudere eum vehementer deberet, vt eum videbat sublatis in cælũ oculis pias preces aut Psalmum aliquem anglicè alta voce recitantem. Iste (inquiebat) in magnũ hæreticulum iam euasit. Exacto ergo in illo Cyclopeo carcere prædicto téporis spatio puer, vt erat in paterna domo teneriuscule educatus, ex humiditate carceris & ex pessima tota victus ratione in aduersam valetudiné grauiter incidit: qua perspecta domini Inquisitores eum è carcere educi & in Xenodochium, quod Cardinalis vocant, recuperandæ valetudinis gratia deferri iubent. In illud Xenodochiũ

 defer-

deferri ex more ſolent, quos in Inquiſitorio carcere ægrotate grauiter contingit: neq; præter medicamenta (quæ tamen ex pio Xenodochij inſtituto abunde ipſi ſuppetunt) & lautiorem pro ægritudine corporis curã ex carceris priſtini ſæueritate quicquam remittitur nemine præter medicum & Xenodochi miniſtros ægrotum inuiſente. Quòd ſi meliuſculè habere cœperit valetudine nondum admodum confirmata, in priſtinum carcerem reſtituitur. Igitur puer ex contractis in diuturno ac barbaro illo carcere grauioris infirmitatis cauſis. tranſlatus in Xenodochium ambabus cruribus obriguit, neq; quid poſtea de illo actum ſit, ſcitur. Inſpiciat nũc ac iudicet quiuis, an Patrũ fidei pietati decorũ fuerit tãta inhumanitate egiſſe cum puello quopiam aduena: inueniriuè poterit vel inter immaniores Scythas adeo barbara agẽdi ratio: etſi immane latrocinium tùm nauis tùm merciũ miſſum fecerimus.

Eodem ferè tẽpore captus fuit ad eundem carcerem quidam qui mahometica impietate ſpontè obiurata è Marruchio celebri Mauritaniæ vrbe ac regni capite in eũ Hiſpaniæ tractum qui interiecto Herculeo

freto Mauritaniam respicit, daturus nomen Christo, paulò ante venerat. Is, vt qui in labijs adhuc haberet pestiferũ illud lac quo ab ipsis incunabulis per totam anteactam vitam fuerat enutritus, (neq; Christianismi purius ac salutarius deficiẽte doctore adhuc forte prægustarat,) quũ plura, quám inter suos Mauros ipse reliquisset, vitia atq; corruptiones, mores inter Christianos inuenisset, in tuto omnia esse arbitratus ac proinde minus sibi cauens forte dixerat, videri sibi Maurorum legem (hoc est religionis institutum) Christianorum lege potiorem. Incidit ob id in Patrum fidei manus, qui ad eum ad meliorem scilicet mentem reuocandum eiusmodi cathechismo erga illum vsi sunt, vt etiá in ipsis vinculis apertè diceret, ab eo die quo esset baptizatus, Christianismi se nunquam pœnituisse, nisi postea quam in Inquisitione foret, vbi violentias & iniurias omnis generis vel inuitus videre cogeretur.

VISITATIONES CARCERVM.


N omnibus tribunalibus quæ ex recta iustitiæ administratione veram ac immortalē omnibus sæculis gloriam captant, mos inoleuit, vt, occurratur iniurijs quibus vexari vincti aut solent aut possunt ab ijs, quorum curæ demandati sunt, Visitationes carcerum (quas dicunt) instituantur, quæ & crebrò per iudices superiores provt necessitas postularit, habeantur. Requirit hoc ipsa æquitas, ipsa humanitas, ipsa optima rerum constitutio, ac ipsa demùm diuina Lex qua peculiari quadam cura vincti hac ipsa ratione in primis commendantur. Itaq; ad de pellendū tot iniurias præter eas quas adhuc ignoramus, in quibus in Sancta Inquisitione vinctos, affici indicatum est, illud vnum remedium relinquebatur, nempe (hic etiam animaduerte simulatam Inquisitorum sanctitatem)

carcerum visitationes, quæ vtiq; eò benigniores, humaniores, magis consolatoriæ magis piæ, ac demùm in propulsandis miserorum hominum iniurijs, in prospiciendo eorum necessiatibus, in puniẽdis ijs qui aut auaritia aut crudelitate ducti vlla eos molestia effecissent, æquiores sanctioresq; esse debuissent, quò Sanctum hoc tribunal vniuersa alia profana scilicet tribunalia titulis istis plausibilioribus & ipsa porró sanctitate excellere videri cupit. Atqui tantùm abest vt ita sit, vt potius videatur visitationes carcerum in Sancto tribunali in diuersum atq; aduersum ex consilio & affectato quodam studio esse comparatas: adeò vt is dies quo haberi solent, alius miseris vinctis torturæ dies quàm illius remedij suarum miseriarum meritò dici posit.

Elucescit id melius ex ipsa ratione & methodo quæ in eiusmódi uisitationibus obseruari semper solet, quem iam subijciemus.

Igitur hæ carcerum visitationes per eosdẽ Inquisitores, notario seu Scriba cum ipso carceris custode sibi adiũctis, semel aut bis singulis mensibus haberi solent, vt plurimũ dominico aut festo aliquo die. Quùm primùm ingreditur carcerem dominus Inquisitor,

sitor, vinctum totidem verbis interrogat quî habeat, quî valeat, indigeatuè re aliqua, an verbis cum ipso benè agat custos carceris (vult dicere an verbis aliquando contumeliosis aut certè asperioribus eum lædat) an cibum sibi constitutum bona fide ei det: an indusia munda, & alia huiusmodi. Nam re ipsa, non est quod aliquid boni ab eo speret. Hæc sunt veluti ad numerum illis præscripta visitationis capita atq; verba, quibus neq; addunt amplius, néq; ea præstant. Si vinctus fuerit seminudus, aut caruerit lecto ac suæ indigentiæ prospici oret, habent responsum tum æstiuum tum hybernum, id est, quod loco eius quod petit inseruire vincto possit tum æstate tū hyeme. Vere enim æstiuum responsum est, Bene quidem (inquiunt verbis quam lenissimis, vt patres decet) nunc calet, bene poteris sine veste aut lecto viuere. Hyeme verò, hybernum responsum est, verum quidem est hisce diebus ingruisse frigus: at iam nūc delapsis è cœlo pluuijs lenietur tempus: vestem animæ curatote vos, quæ in veritate indicanda & in exonerandis in hoc sancto tribunali conscientijs vestris consistit, hoc est enim quod imprimis curare debeatis:

ac sic prospicientes scilicet uinctorum necessitati, de qua tamen primum interrogarant (irrisores) egrediuntur. Ergo si vel diebus singulis haberentur carcerum visitationes, miser vinctus in suis necessitatibus tantundem solatij à patribus esset accepturus. Verum est tamen fauore prosequutos nõnihil accipere solere: neq; difficile intellectu erit, quinam fuerint eiusmodi fauore prosequuti vbi auaritia & inhumanitas ad clauum sedent.

Quandò aliquis ex vinctis literatus aut quiuis alter obsecrat vt boni alicuius libri sacrorumuè Bibliorum sibi fiat copia, è cuius lectione tædiosissimum alioqui & solicitudinum & molestarum plenum tempus aliquo cum fructu posit fallere, illud ipsũ responsum, quod nudo aut discooperto vestis & operimenti loco fuit, huic accomodatur libri loco. Respondebit enim tum censoria grauitate dominus Inquisitor, Verũ librum esse veritatem indicare, & in illo sancto tribunali conscientiam suam exonerare, inq; eo libro incumbendum esse, vt memoria omnia fideliter repetendo continuò, suis dominationibus manifestet medelam languenti animo illicò præbituris, atq; hunc esse verum librum &c. Quod si

adhuc

adhuc in eadem aut altera visitatione perrexerit vinctus ea de re esse importunus, audiet pro imperio vt taceat, quoniã si ipse, prout magis collibet, petat, eos quoq; pro ut magis collibuerit, cõcessuros aut denegaturos. Summa. Videntur singulari ac accurata quadam diligentia in hoc esse intenti, vt præter præsentem calamitatem vinctus nihil habeat, quod intueri posit, vt ea quoq; ratione afflictio gliscẽs eũ cogat illorum votis, quo ad fieri posit, obtemperare.


Si nonnulli fortassè amici affinesuè extra Inquisitionem vincto sint, qui eum quoquo modo in sua afflictione subleuare possint, ij in apparandis nonnullis xeniolis, quibus immanitatem Inquisitorum deliniant, nonnunquam occupantur, ne ipsorum saltem vinctus adeò sordide tractetur. Iam difficultas modò in eo est, an ea ipsi velint accipere. Atqui quùm ex ministris Inquisitionis quispiam, qui non sit ipse Inquisitor, eiusmodi muneribus colendus est, nulla est rei difficultas, quando facilè dantur & accipiuntur, modò aut clam aut noctu porrò fiat. Facile enim possunt eius ordinis ministri muneribus corrumpi.

Et-

Erga ipſos dominos Inquiſitores eſt maior difficultas, imo eſt prorſus impoſsibilitas ſi in primis ipſorum reſponſis eſſet conſiſtẽdum. Ea ſunt, Sanctum illud tribunal, eſſe tribunal quoddam incorruptum quod cuiuſcunq; generis munera accipere nullo modo ferat &c. Enimuero vt cuiuſmodi reſponſa ex animo nõ proficiſcuntur, dum nimium ſeſe excuſant, ſe nihil aliud magis cupere, haud obſcurè oſtendunt. Néq; deeſt vnquam domino Inquiſitori in ſuo famulitio aliquis ex fratre aut ſorore nepos, aut ſaltem famulus perquã charus æquè atq; ipſemet ſuſpiciendus, néq; alter quoq; ex famulis qui contentioni ſubornantis & Inquiſitoris interfuerit, quiq; in ſpeciem victo ac prorſus repulſam paſſo, indubitatæ victoriæ feneſtram mox aperiat, ad eum paulo poſt accedens, ac nepotem domini Inquiſitoris vel omnino extra rem, digito illi oſtendens. Tùm, qui munere quopiam Sancti tribunalis integritatem antea fruſtra tentauerat, modò non ſit ſtipes, facilè intelligit offerendæ receptaculum illud eſſe ac ſibi dictum putat. Hac demum ratione nonnihil reſfrigerij miſeri vincti recipiunt, vnde quóq; apparet ſatis quo demũ
ſpi-

ſpiritu Sanctum tribunal gubernetur, quando ad quicquam præſtandum quod virtutis ſit, vna ipſa auaritia indubitato præſtat, quod ſola virtus aſſequeretur nunquam.

ACTVS FIDEI.



Am ad tragediæ catastrophen, vt accedamus ſupereſt. Ea eſt poſtrema Sancti tribunalis actio, in qua & diuturnis vinctorum angoribus, & Inquiſitorijs fraudibus, verſutijs, ſtratagematibus, ſæuitijs, optatus demum vtriſq; finis imponi ſolet. Namq; in ea feruntur ſententiæ cauſarum, quæ longo dierum, imo annorum, curriculo ni Sãcto tribunali agitatę ſunt, idq; in totius populi tam frequenti theatro, quale hactenus vel in Olympo ipſo nulla ætas vidit. Actionem ſiue Actum fidei (Auto vulgô vocant,) neq; immeritò, quando in ea actione vinctorũ fides ad ipſas vſq; fæces explorata aut abnegata publico ac lõge ſolẽniſsimo teſtimonio, Dei veritate, aut

eadem ſolennitate ſtrenuè aſſerta ob oculos vniuerſi populi ad ſpectaculum certatim concurrentis qualis re vera fuerit, ſeſe prodit. Interpretentur nomenclaturam ſuam Patres fidei vt voluerint, nos hanc interpretationem, quæ diuino vtiq; conſilio eſt affinior, recipiemus.

Habet hæc actio ſua parerga quædã, ſeu vt aptius dixerimus, habet hoc populi Dei Paſcha (pelah id eſt tranſitus ab Aegipto ad terram illam promiſſam, è mundo ad Patrem) ſuum Paraſceue, ideſt præparationem. Ioa. 13. 1. Paucis aliquot diebus antè hunc feſtum diem, vocare ſolent domini Inquiſitores ad tribunal eos omnes (ſeparatim tamen) quorum bona omnia iudicio ſuo addixerunt Fiſco: inquiruntq; ab illis ecquas opes habeant, quibus etiam in locis, ſeriò admonentes ne quid celauerint, alioqui ſi quid ſibi ex ſuo aſſeruaſſe poſtea fuerit deprehenſum, fore vt ob illud & furti crimen referant, & pœnam ſubeãt, ij apud quos illud fuerit deprehenſum. Igitur præter eas domeſticas opes, quæ initio incarcerationis, vt ſupra dictum eſt, in Sequeſtrum venerut, omnibus indicatis atq; in Fiſcales rationes acceptis, ad ſua ergaſtula

ſtula remittuntur haud dubia coniectura certi, quòd, etſi quo ad vitam, fortunæ ſuæ ſint incerti, ad minus tamē implumes prorſus inde egreſſuri ſint.

Propius & Paſchæ aptius Paraſceue eſt, quòd eo die qui ipſum diem feſtum proximè præcedit, aduentante iam nocte, congregari iubēt viros omneis in perāplo quodam carcere, qui diuerſa pœnitentiarum genera, quæ non ſint necis, inſequenti die inſpectaculum ſunt educendi. Ponitentias vulgò vocant mulctas atq; animaduerſiones in reos, ex veteris ſcilicet Eccleſiæ more mutuata nomenclatura. In alio eiuſdem formæ carcere congregantur ſimul fœminæ. Qui verò necis iudicium ſubituri ſunt, ſeorſum in ſingulis carceribus reponuntur, & nona aut decima noctis hora mittitur ad quēquam illorū ſacrificus, qui funeſtum illi fortunæ ſuæ nuntium perferat, & a confeſsione ſimul ſit. In eo tēporis articulo is cui Deus cōſtanti ac inexpugnabili animo eſſe dedit, penultima fidei ſuæ fulgetra vibrat in pudorem confeſsoris ſui & aulę totius infernalis. At qui contrà néq; ad illud vſq; tempus conſtans fuit, neq; tunc eſt, habet adhuc reſipiſcendi locum, atq;

ea ſingularia Chriſtianæ conſtantiæ dona à Patre luminum accipiendi. Vtriq; agūt cum ſuis confeſſoribus magnis clamoribus, illi fidem ſuam in articulo illo temporis longè periculoſiſsimo ſtrenuè defendēdo, ij de morte ſua inaniter ac fruſtra contendendo. Porrò nemo ex vtriſq; eſt qui ea nocte nō habeat negotij ſatis, quādo haud dubiè tentatio magna eſt, carne præſertim ſupra modum imbecilli, néq; ſatana interea quieſcente. Cæterùm pro indubitato quoq; habendum eſt, Cœleſtem parentem ea hora ſuorum non eſſe oblitum. Apparet hanc agonis membrorum ſuorum noctem cum illa agonis Domini haud ineptè componi poſſe cùm in patientium angore, tùm etiam in ſolatio è cœlo miſſo.

Splendeſcente mane, miniſtri ac familiares omnes Inquiſitionis, qui ad ſolennem victimam ad ſua quiſq; munia vndiq; maturè conuenerunt, eos omnes qui ad ſpectaculum ſunt educendi iuxta vniuſcuiuſq; ſententiæ præſcriptum ſtudioſe adornant. Qui conſtanter fidem ſuam aduerſus impia mendacia tutati ſunt ad ipſum vſq; incendium, Sambenitum ferunt: ea eſt veſtis quædam colore luteo, citra manicas

tamen paludamento perſimilis, malorum geniorum atris imaginibus (ex quibus ſanè triumphat generoſus Chriſti miles in victoriæ ſignum) tota reſperſa. In capite gerunt thiaram quandam papyraceam oblongam in modum turris, in qua eſt hominis effigies in incendio conflagrantis & à compluribus malis genijs materiam foco veluti aggerentibus vndiq; obſeſsi. Genus eſt militiæ (vt conijcio) atq; prælia ipſa hoſteſq; quos glorioſè deuicit ad maiorē triumphi gloriam ibi expreſſa. Linguas habent ligneis lupatis acerrimè ac ingenti cum cruciatu captas, (quas mordazas à mordendo ſanè dicunt) nè de innocentia & fide ſua in Dei laudem teſtari coram plebe poſsint: colla verò præ lōgis ac nouis reſtibus ex ſparto inſerta manibus ante reuinctis, quo (meo quidem iudicio) teſtatū facit ingentis alioqui meriti miles nullo ſuorum operum merito fiſus ſed vna ineffabili Dei bonitate ac clementia merito innitens pro cuius confeſsione vel accerbiſſimam mortem mox ſit generoſè oppetiturus, coram Dei tribunali ſe velle comparere: qui vel ſi jlla adeò glorioſa facinora, quibus iam illuſtrat nomen ſuum, ad ſummum

legis suæ ius velit exigere, nihil aliud quàm suspendium indignissimi latronis more sibi reliquum fore. Atq; istis stemmatibus insignitus in theatrum primum prodit Fidelis, deindè in incendium. Ij vero qui abnegata turpiter Dei veritate bonam scilicet spem de salute sua patribus fecerint, iudicium nihilo secius mortis subituri eadem plané ratione adornantur, amotis modò diabolorum imaginibus, in quorum loco sufficitur imago crucis manibus inter ipsa vincula inserta, vt quemadmodum fidei ac strenuitatis suæ alij, isti quoq; ignauiæ àc perfidiæ suæ insignia præ se ferant. Reliqui omnes eisdem istis notis prodeunt insigniti plus minusue prout Sancto tribunali eos plus minusue in populo denigrare fuit visum.

Ea hora, qua ex arce ipsa carceris foras educuntur, Sanctum tribunal Charitatem ac clementiam suam omnem ergá eos coram spectante iam populo explicare affectat. Vinctis omnibus in hunc modum personatis atq; ad progrediendum in spectaculum in suo ordine collocatis, iubetur vt consistant, atq; è vestigio adornatur stãtibus splendidissimum in speciem ientaculũ

ex gallinis hædísq; assis, quo vtiq; præstigio & vulgo persuadẽt haud multò secꝰ in vinculis eos fuisse tractatos, & ipsis simul vinctis anteactam carceris acerbitatem compensant. Verum miseri eo animo tum temporis sunt, vt non magnum escis detrimentum inferant: euenitq; vt plurimum vt sicarij ipsi familiares, ex quibus (vt mox dicemus) duo vinctis singulis custodię causa vtrumq; latus claudunt, arreptis escis è vinctorum manibus lauticijs illis, nemine prohibente, frui soleant.

Enimuero eiusmodi est apparatus àc pompa qua in triumpho illo progreditur, vt nulla Persica pompa Romanusue triumphus vnquam fuerit, quem cum isto rectè composueris. Primo in loco procedũt pueri Doctrinæ (ex collegio scilicet in quo pueri instituuntur asciti) qui tũ veste, tum cãtu, tũ ordine in quo per clericos aliquot superpellicis indutos cõtinẽtur, religionẽ incutiũt. Cãtiones sunt Litaniæ sacrorũ alternis vicibꝰ repetitę alterno choro respõdẽte ora pro illis. Hos sequũtur è vestigio vincti ipsi, Pœnitẽtiatos vulgo vocãt, hoc ordine per quasdã veluti clasces dispositi. Qui leuioribus censuris sũt notati, primũ ab ordine illo puerorũ locũ tenẽt.

Iis candelæ absq; lumine, restes collis inser tæ, lupata lignea, thyaræ papyraceæ, signa reatus esse solent. Apertis incedunt capitibus, ni thyara operiat, & seruorum more sine pallio, qui natalium dignitate socios opibusue antecellunt, subsequuntur ignobiliores. Secundum hos, procedunt qui Sambenitis, hoc est paludamentis illis militaribus rubra cruce in transuersum dissecatis, insigniti sunt, eisdem quæ supra, qualitatibus personarum obseruatis, qui sacris ordinibus contaminati sunt, dignitate ac proinde loco etiã suæ classis alios præcellunt. Hos sequitur tertia ac postrema classis eorum videlicet, qui rogo sunt destinati: ex quibus qui Dei veritate repudiata ac in eius locum mendacio admisso ad hominum misericordiã confugerunt, constantiores meritò præcedunt, qui in postremo totius phalangis loco positi vel ipsis Inquisitoribus arbitris dignissimum virtutis ac fidei suæ ordinem sunt sortiti. Vinctis singulis claudunt vtrumq; latus familiares duo armati custodiæ causa, quibus duo quoq; adduntur monachi aut theatini (quos dicunt) singulis morituris, vt eis pro viribus suadeant nè veritati dei in qua edo-

&i sunt, in fine demùm vitæ acquiescant, qua impia importunitate, qui in Dei veritate permansit firmus, tormentum grauius meo iudicio, nullum tulit. Vinctorum ordinem, qui ex triumphi more primus merito esse debuit, Vrbis senatus vniuersus insequitur, Alguazilijs, Iuratis, Viginti quatuor Graduum iudicibus, Prætoribus curialibus, Regente ac ipso Pro rege siue assistente, constans, quem nobilium equitum ingens turba comitatur. Mox sequitur status scilicet ecclesiasticus, clericis, beneficiciarijs, curatis, primum in hoc ordine locũ tenentibus. Secundum eos vniuersum tẽpli summi capitulum, vulgo cabildum Ecclesiæ maioris. Tertium locum occupant Abbates, & Priores ordinum monachaliũ cum suis comitibus. His omnibus sanctũ tribunal, quod eo die planè triumphat, honoris ergô anteambulantibus, spatij nonnihil vacui relinquitur, in quo Fiscalis Inquisitoris, vt qui in ea paráda victoria haud mediocrem Sancto tribunali operam nauerit, prætenso ac explicato ex serico damasceno rubro vexillo, militari sanè fastu, Vexilliferi locum tenet. Vexillum est opere Phrygionico apprime elaboratum, altere
 fac-

facie, illius Papæ qui Inquiſitionem conceſſit, ſtemmata cum ipſius nominis inſcriptione, altera Regis Ferdinandi, qui illam in orbem inuexit primus, oſtendit. Multo ſerico, auro, atq; oſtro elaborata omnia. In huius vexilli ſumma cuſpide infixa eſt argentea crux deaurata magni pretij cũ ſuo crucifixo, quam ſingulari quadam præ alijs omnibus veneratione ſuperſtitioſa turba proſequitur, hac vna de cauſa quòd Inquiſitionis ſit. Sequuntur demùm ipſi Patres fidei inceſſu lento & ad ſummam grauitatẽ compoſito re vera triumphantes, vt præcipuos decet eius victoriæ imperatores. Habent è veſtigio familiares omnes Sanctæ Inquiſitionis equis inſidentes, quales videre olim erat in Romanis triumphis milites, omnes ſuorum triumphantiũ ducum terga ſequentes. Hos ſequitur multitudo plebis ac vulgus innumerabile abſq; vllo vel ordine vel nomine. Hac pompa itur ab Inquiſitorio carcere ad theatrum quoddam ſublime atq; operoſũ, quod imponẽdis ad ſpectaculũ pœnitentib9 & audiẽdis eorũ ſentẽtijs è lignea materia fabricatũ eſt in platea vrbis celeberrima atq; capaciſsima. In eo theatro ſedere eos faciũt eodẽ plane ordi-

ne quo venerunt. Eſt & alterum theatrum eiuſdē ferè cum priore magnitudinis è regione illius, in quo eſt erectum tribunal dominorum Inquiſitorum; vbi ſedent in Inquiſitoria ſua ac penè diuina maieſtate vniuerſa illa comitati amplitudine qua venerunt.

Haud extra præſens inſtitutum feciſſe arbitraremur, ſi in iſto hoſtium triumpho componendo cum pijs illis publicarum pœnitentiarum ſpectaculis quæ in Primitiua Eccleſia a pijs illius epiſcopis & paſtoribus edebantur, nonnihil ſpatiaremur: in quibus nihil erat quod meram non ſpiraret pietatem, ac ſanctitatem, & remedij demum ac ſalutis pœnitentium ardens minimèq; fucatum deſiderium: in quorum ordinem nemo intrabat qui quamuis egrederetur rubore perfuſus, ſimul non egrederetur conſolatione plenus. Pudori enim ſolum erat errauiſſe ſe, at in ipſo remedio ac medicamento quod paſtores ſui confracturæ applicuerant, re ipſa experiebatur verū mali remedium, firmum ſolidumq; ſolatium atq; confractæ exulceratæq; conſcientiæ ſuæ conſolidationem. Neq; triūphabant eo die qui ſua eum caſtigabāt cenſura

nec

neq; ſplendidioribus ex arca ſua deprōptis veſtibus in lætitiæ & triumphi ſignum prodebant induti. Luctuoſis cooperti veſtibus tum ipſi tum Eccleſia vniuerſa incedebant, ea luctuoſa ac plena funebri ſpecie teſtantes malis fratrum ſe tangi ex animo: quin non ſemel vſu veniebat, vt cenſores ipſi quam ij qui cenſura notarentur, vberiores lachrimas funderent, vt pote qui illis dedecus prout par erat ex errore ſuo ferentibus minimè fictum dolorem paſtores ipſi ferrent. Neq; ad mortem vel acerbiorem vel leniorem quiſquam tum educebatur, néq; ad adeò dura verbera vt per ipſos vibices oſſa conſpicerentur: neq; ad honeſtā alioqui exiſtimationem ſuam & pro ſe & pro vniuerſa ſua poſteritate apud vulgus amittendam, ſed ad quæ amiſſa ex delicto apud Eccleſiam fuerat, recuperandam honeſtatē. Cuiquam vero ex paſtoribus nihil ex fiſco adherebat lucri, neq; cincinnum velleris ouis ſuæ, in ipſius manu deprehendebatur, neq; quicquam ex rapina pauperis in ipſius domo Ezech. 34. 8. Iſa. 3. 14. Væ paſtoribns &c. Verùmtamen hæc licet iuſtiſsima querimonia aliâs fortaſſe fuerit intempeſtiuior: tantum rudia iſthæc abſq;

vllo

vllo ordine lineamenta ducere hoc in loco visum est, vt quibus ex humano sensu quicquam in tanta omnium ferè ordinum dementatione reliquum est obseruare saltem incipiant quid porrò sit discriminis inter hunc triumphum tanto apparatu ac lætitia celebratum & veteris illius Ecclesiæ publicas pœnitentias quas sanctum Tribunal retinere se ambitiosè iactat.

Igitur in suo ordine sedentibus omnibus concionem auspicatur quisquam, quæ accurata tum habetur in laudem Sancti tribunalis & confutationem hæresum in quas eo loco animaduerti dicunt: in primis verò in obruendo probris ac contumelijs miseros, & afflictionem addendo afflictis potior illius concionis pars insumi solet: qui si eam præsentem, se videlicet videre illic spectaculum ignominiæ & scopum iniuriarum factos, minus iniquo animo ferre videntur, ideò vtiq; fit, aut quia in fidei clypeo impenetrabili eas omnes excipiunt, aut quia precedentes totum animū ex diuturna patientia occupantes nullum ferè præsentibus sensum relinquerunt. Finita demum consolatoria, scilicet, illa concione, sententiæ pœnitentium legi incipiunt,

eodem quo ipsi sedent aut venerunt ordine, videlicet ab ijs qui leuioribus notandi sunt censuris lectoribus initium auspicantibus. Hæc pars actus longa & præcipua est, requiritq; proinde peculiarem & accuratiorem aliquanto obseruationem, sed suo loco. Perlectis sententijs primarius Inquisitor occinit aliquot precatiunculas pro conuersis (vt ipsi dicunt) mortis censuram nihilominus subituris. In illis Deum suum precatur, vt fauorē suum eis conferat, quo in confessione doctrinæ Ecclesiæ Romanæ perseuerent, ac demum moriantur. Iis finitis incipiunt canere Psalmum. 51. Miserere mei Deus &c. ad implorandum scilicet ergâ pœnitentes suos Dei clementiam, et vt Patrum fidei ergâ eos ipsos tum censuræ tum absolutiones sint veræ resipiscentiæ efficaces. Sunt verò pleræq; censuræ mors omnium acerbissima, verbera, ex quibus, qui acceperit, aut vix aut nunquā conualescat, relegationes ad transtra, bonorum omniū præscriptiones & eius generis alia, quibus mater Ecclesia Romana pietatem suā erga suos filios per dominos Inqsitores exerit, quæq; reuera nō esse veræ resipiscentiæ efficaciæ haud possunt, videlicet, vt agni

ta per eiusmodi sæuitiam istorum Cyclopū immanitate, qui se pro Ecclesia Christi tādiu scelerate atq; impudēter venditarunt, non modo qui eas censuras subeunt; verum vniuersus orbis ad mentem redeat, eosq; omnes quo demum merentur loco habeat.

Igitur finito Psalmo, quo tàm impiè quam impudēter irrisorièq; vt omnibus alijs scripturæ sacræ locis, ad suum institutū abutuntur, Primarius Inquisitor occinit aliquot versiculos, quibus vniuersus cātorum Chorus arti ac guturi in tēpore scilicet indulgentiū magno ac sonoro vocum concētu respondet. Iis finitis Inquisitor, pro ea qua pollet authoritate, absolutionē cantu pronūtiat, qua conuersos ōnes ad Romanę Ecclesiæ gremiū (à Christo veró auersos) absoluit ab ijs omnibus in quibus ab Ecclesiæ Romanæ cōsensu defecisse eos pœnitet: atq; hæc absolutio (Ecclesiæ vtiq; Romanæ more) à culpa tantum accipienda est: pœnas enim, easq; nulla vel clementia vel humanitate vel etiā æquitate tēperatas, è vestigio eos subire est necesse. Peracta absolutione domini Inquisitores insigne quoddā stratagema ordiuntur, & ad regnū veluti

caly-

çalybeis anchoris retinendum mirè cōducens, vt pote qui eo ipso facto detegunt, haud citrà metum ac certa quædam præsagia ruinæ sibi regnóq; suo impendentis eos esse. Stratagema illud est, quòd vniuersus populus, prout est ad celeberrimum spectaculum, nonnunquam etiam ex locis viginti leucas distantibus, congregatus, solennissimum sacramentum eis dicat verba ipsa, quibus se deuincit, àc nisi præstiterit, deuouet, præeuntibus, Victurum scilicet ac moriturum se in Ecclesiæ Romanæ secta ac subiectione, eandemq; propugnaturum pro sua virili, fortunas omnes ac vitam ipsam aduersus eos qui eam oppugnauerint exponendo. Præterea eiurare, abnegare, atq; execrare se quicquid contrarium fuerit ei quod Ecclesia Romana tenet, atq; affirmat. Item propugnaturum ac se defensurum pro sua virili portione Sanctum tribunal Inquisitionis, eiúsq; ministros omnes &c. atq; ad eius rei fidem ac firmitatem se mutuò testes constituunt. Videas hîc ad terram procubentem miseram plebeculam atq; omnium ordinum status cum summa religione in fauorem impietatis aduersum Iehouam & Christum eius

per

per errorem ſacramenta dantes, qua non minus impia quam temeraria coniuratione ductus exinde Inquiſitionis miniſter pro ſua quiſq; facultate conſtituitur. Iam igitur ſi de abolendo, imò ex orbe terrarum pro merito funditus exterminando eiuſmodi tum iniquitatis tum impietatis portento cum quoquam egeris, ſi quidē illius duritiem ac immanitatē inficiari non poſsit, iura mentum obijciet ſolenniſsimis verbis in conceſſu frequentiſsimo cōceptum: quo te vertas? Nempè obijciemus contra ex Iudæis quoſdam cæca religione ductos ſacramento ſe obſtrinxiſſe, ac deuouiſſe olim nihil ſe ſumpturos cibi antequam Paulum occidiſſent. Act. 23. Hos ter peccaſſe contendimus, tantum abeſt vt iuramento impiè cōcepto teneri eos arbitremur. Primū, quod cæca ac proinde impia pro lege Zelotypia Euangelium Chriſti obſtinatè ac pertinaciter oppugnent. Deinde quód pro mala cauſa defendenda & bona vel præter vires oppugnanda iuramento in nomē Dei concepto temere & nefarie, ipſum Dei nomen prophanarint, eòq; ad impietatem abuſi fuerint. Tertio, quòd cum retractare omnia vt impiè & contra Dei ipſius vo-

luntatem inita maturè debuissent, iudaica sanè pertinatia in instituto progrediantur. Ecquis ista negat? Igitur qùum expugnare ex professo Regnum Christi cũ Iudæis illis dominos Inquisitores euincetur, constabit quoq; eos qui se illis iuramẽto astrinxerũt triplici illo peccato, licet per errorem, esse irretitos. Itáq; si maturè velint saperé, ea erit istis vna salutis recuperandæ ratio, Primùm vt quam diligentissimè inuestigent, qualem causam Inquisitores tueantur, vt videant demum, an pro Christo an contra Christum sub auspitio Inquisitorum arma sumant. Deinde obseruent, retractentue iuramentum, prout rebus sibi iam compertis expedire videatur. Iam ad rem.

Porrò his absolutis, siqui sint inter pœnitentes, qui ea censura notari cõmeruerunt, Ecclesiastici muneris quo fungebãtur gradu amouent, degradari vulgo vocant. Ea functio degradãdi scilicet, episcopo, vt qui illos initiauerat, põtificalib9 induto cedit. Morituri ex sentẽtia Patrum eo die actualiter vt ipsi dicũt, degradant, ceremoniæ sunt planè tragicæ ac mirabiles. Indutum prius missaticis vestibus omnib9 veluti impia sacra facturũ particulatim post modum exu-

unt tùm in gesticulationibus tùm in verbis certa forma excantationum ad ornamenta singula, adhibita, ijs contrariarum quibus antea, cum initiatus fuerat, vsi sunt. Raduntur deinde manus, labia, tonsura capitis (fragmento vitri aut peracuto cultro) abradi sibi oleum significantes, quo quùm eum excantarunt, fuit per vnctus, spectante atq; ad ea singula mysteria obstupescēte populo, alijs vicem miseri hominis cōmiserantibus, alijs vti perfidum ac execrabilem detestantibus, qui, vtiq; meliore iudicio, vel eo vno fuerit fœlix, quòd eiurata demùm solenniter in fine vitæ putida illa vnctione, & abraso, quoad fieri potest, illo impietatis charactere, è vita migrarit. Nō morituri verò verbaliter, quod ipsi dicunt, degradari solent. Id in summa est ab officio & dignitate suspendere quantisper Papæ visum fuerit.

Ceremonia quædam negligenda hîc iure non est, qua Sanctum tribunal impudētissimè ac prætextu nullo obducto apertè irridet & Deum & vniuersam, quæ adest, multitudinem, séq; vel ea vna dignum efficit, qui ab omnibus pro merito vicissim irrideretur. Ea est, quòd in fine sentētiæ illius

quem iam incendio adiudicarunt, qui tamen ad Romanæ Ecclesiæ gremium conuersus est, addunt, publicèq; ibi pronuntiari iubent: eó quod Sanctum tribunal cōuersionem eius hominis haud veram & ex animo profectam existimat, atq; metus sibi sit ne sub ouina pelle lupum relinquat, ipsius conuersione non obstante, seculari tribunali illum sinere traderéq;: quod vehementer orant, vt multa erga eum misericordia vtatur, nèq; membrū, ósue quodpiam illi confringat, neuè sanguinis quicquā hauriat. Eum autem, quem à pia cōfessione non dimouerunt (cuiusmodi pertinaces ac obstinatos vocant) ijs verbis seculari brachio commendāt. Quoniam ipsi omnem suam diligentiam adhibentes vt ad gremium Romanæ Ecclesiæ hominem reducerent, nihil effecerint, in suis opinionibus contumaciter perseuerante &c. idcircò eiusmodi hominem tradunt ac permittunt seculari tribunali, vt in eum iuxta leges animaduertat: verùntamen orare se vehementer illud, vt si aliqua resipiscentiæ veræ signa ediderit, multa erga eum misericordia vti velit &c Qualis est hæc impudentia? Addixerunt ipsi hominem mortis

iudi-

iudicio; tradunt ipsi eundẽm brachio seculari vtiq; comburendum, atq; adeò vt si, qui irrogaturi sunt ea supplicia, hominem aut dimitterent aut deniq; non comburerent, illi ipsi ex sancto scilicet officio opponerentur, obsecrãt verò vt magna erga eum commiseratione seculare tribunal velit vti. Qua ergo commiseratione educunt miseros in eum locum dissolutis ac difractis plane membrorum omniũ iuncturis quassatos, ac per artus singulos confractis ossibus, venis, etiam ipsisq; visceribus internè disruptis ex sæuissimis illis torturis, in quibus etiam complures inter ipsorũ manus extremos spiritus exhalarunt: obsecrant verò seculare brachium ne membrorũ aut os quodpiam illis confringat, neue sanguinem hauriat? videlicet quia quæ dãna torturis suis, miseris hominibus intulerũt ipsi, intra cutem sunt, neq; sanguinem hauserũt nisi per ipsum os, tenui etiã linteolo aqua in imum guttur demisso, non cultro aut lãcea, insontes iam sunt ab effusione sanguinis & confractura membrorum? Tractarunt ipsi eos absq; vlla prorsus commiseratione aut humanitate, excogitatis subinde nouis cruciatuum generibus, quibus tor-

querent miseros plusquam barbara sæuitia. Precantur vero iam seriò seculares iudices obtestantúrq;, vt multa misericordia cum eis agant? Sed irrisores homines hac vna obtestatione vidētur sibi probè excussisse canonis sui cēsuras in eos, qui ex ordine ecclesiastico aut sanguinem fuderint, aut membro quempiam mutilauerint, anathemata atq; irregularitatem intentantis. Censuræ enim nihili ac pro delicti magnitudine ridiculæ ridiculis quoq; ac nihili remedijs vitari possunt. Audiunt vero tùm principes tùm populus, atq; ipse in primis secularis magistratus, qui iniquissimas illas sententias exequendas suscipit, eiusmodi irrisoria impudentissimaq; nugamēta, & prætereunt: alioqui enim nemo est adeò vecors, qui non intelligat conficta ad ludibrium omnium misericordiæ ea verba esse, quæ nequaquam vt ita fiat, proferantur. Et sic quidem sanctæ matris Ecclesiæ in errantes filios pietatem, commiserationem, ac misericordiæ maternæ viscera retinet sanctum tribunal. *Illud etiam obseruet uel cæcus lector, quòd de illo cuius conuersio suspecta adhuc est Sancto tribunali, ne uidelicet lupum relinquat ouina pelle contectum, nullam rationem incen-*

dio

dio aptiorem in artium suarū scrinio reperire potuit Sanctum tribunal.

Diximus superius eam actus partem, quæ sententiarum lectione constat, præcipuā esse, àc peculiari quòq; obseruatione indigere, quòd singulari quadam perfidia non solum ea plerunq; recitent, quæ accusatus confessus est, verum etiam quæ nèq; dixit vnquám, néq; cogitauit quidem: excogitauit ea veró Sanctum tribunal partim impura, partim nefanda, partim etiā blasphemas, vt pœnitentis cum personam tum doctrinam apud vulgus reddat abominabiliorem, atq; ampliorem sibi authoritatem ac existimationem acquirat, vt quod ad perpurgandam ab eiusmodi diris pestibus terram per quam necessarium orbi fuerit. Hæc illis in suis sententijs ad populum recitantibus, lupatum ligneum pœnitentis linguam vehementi cum cruciati mordicus tenet, nè respondere ac inficiari quicquam & tueri suam innocentiam posit: quod si fortè detur, mendacij illos, quod non semel accidisse constat, in publico theatro insimulat. Ceterùm haud diu durat acris illa disceptatio, lupatum enim ligneum in pœnitentis os proteruè disputantis

confeſtim inectum, liti finem imponit, ac veritatem, nè in publicum prorſus erũpat, prohibet. Id autèm quod accuſatus ingenuè, aut ſecus confeſſus eſt, adeó veteratoriè, peruerſè, tranſmutatis ac immutatis verbis recitant, vt eodem ferè loco cũ eis quæ nunquam cogitantur iure haberi poſsit. Eius rei exempla quia grauia ſunt, néq; de facili irrefragabilia, vt pote quæ in orbis theatro ſint edita, ſeorſim infra ponemus.

Perlectis ſententijs, peractiſq;, vt ſupra dictum eſt, degradationibus, ſecularis magiſtratus morituros ſolenniter ſuſcipit pro officio à Sancto tribunali ei iniuncto, atq; ad ſupplicii locum deducit, illis ſathanæ procuratoribus eos comitantibus, qui ſumma ac indefeſſa prorſus improbitate inceſſanter ab eis extorquere contendunt, vt veritati quam receperunt, abrenuncient. Accidit ſæpènumero vt in pia confeſsione conſtanter perſeuerantibus ad palum ſupplicij gulam citò frangant, ac mox in clamores ad vulgus erumpant, eos errorum pœnitentia ductos ad Romanæ Eccleſiæ gremium inter extremos ſpiritus recurriſſe, ac ignem proindè nõ ſenſiſſe ſcilicet in-

qui-

quiſitoriæ in conuerſos miſericordiæ beneficio. His ac cōſimilibus artibus veritatem ſepelire ſtudent, perinde ac ſi illius vindex Deus ad eam è tenebris & ſepulchro eruendā minus eſſet potens. Reliqui qui mortis ſupplicio non ſunt deſtinati, in carcerē Inquiſitorium reducuntur; & in ſequenti die educuntur ad verbera, qui ad ea fuerunt damnati: ex quibus complures poſt verbera mittuntur ad tranſtra, alij ad perpetuum carcerem Inquiſitoriū, vel in aliū quempiam locum ſibi in carcerem deſtinatum, admoniti prius vt depromant, ſiquid aut de ipſis aut de aliis in memoriam præter iam deprompta redierit, alioqui ſi quid poſtea eos aſtutè oculuiſſe dephehenſum fuerit, pro impœnitentibus habendos atq; grauiſsimè in illos fore animaduertendum. Omnium verò maximè ſumma eis ſeueritate præcipiunt, ne quid vllo modo reuelent eorum quæ toto captiuitatis ſuæ temre ibi viderunt, audieruntue, aut quo modo fuerint tractati, quáue methodo aut ratione in audientijs, in torturis, in ipſo carcere ac in vniuerſa demum inquiſitoria œconomia cum captiuis procedi ſoleat, quin potius eo toto tempore quo ibi degerunt,

se mortuos planè existimauerint: fore alioqui vt si quicquam eorum mysteriorum temere effutierint, idq; ad Sancti tribunalis aures vsq; dimanauerit, pro relapsis habiti seuerissimam omnium censuram subeant. Relapsorum autem, quos vocant, censura, mortis est suppliciū inexorabile. Atqui hæc diligētia qua indubitati exitij metu egredientium indè ora consuunt, est illis omnium sacrarum artium lōgè necessaria, hoc seuerissimo mysteriorum silentio, veluti fidissima quædam clauis, totam tyrannidem obserante ac communiente. Compertū enim in primis ipsis est, quòd si rex, qui in eo munere eos côllocat quoquo modo noscet eorum perfidias, violentias, impietates, mendacia, dolos, diabolica stratagemata, strophasq; mirabiles, quibus ad irretiendum complures innocentes, qui néq; dixerunt, néq; viderunt, néq; audiuerunt, pleraq; de quibus accusantur, vti solent: præsertim verò eorum tùm auaritiam, tùm sæuitiam ac plusquam barbaram inhumanitatem ex auaritia vtiq; prognatam, Inquisitione in eos ipsos seuerè cōuersa, prospecturus haud dubiè esset & reipublicæ àc subditorum suorum incolumitati, & iusti-

tiæ ipsi in primis, cuius legitimus patronus est à Deo constitutus, potius quam iniquissimo Fisco eiusmodi artibus & parto & aucto: rege verò pietatis ac iustitiæ eiusmodi officiũ negligẽte, ipsa plebs iniecto in eos ipsos igne, quo in primis hactenus fuere formidabiles, sibi certè non esset de futura.

Tanto demũ studio laborant in sepelienda veritate & ne ipsorum iniqua tyrannis in lucem aliquando veniat, vt compluribus viris authoritate præstãtibus post diuturnos carceres & triumphale illud dedecus, inter alias sęuioris mulctæ partes interdixerint omnium hominum colloquio, nisi tantum eorum quos ipsi præscripserint: itẽ nè literas ad quẽquam dent ipsis inconsultis, qui & eas prius sint inspecturi. Prætextus est speciosus sanè, ne videlicet colloquio suo aut literis ad absẽntes missis errores suos latè disseminare possint: atq; re vera id conantur nè eiusmodi homines, quibus & amicitiæ & affinates præclariores facto ipso cõtigerunt, iniuriarũ quoquo modo apud amicos affinesue cõquesti, apud ipsũ demũ Regẽ periculũ cõficiãt Sancto tribunali in lucem cum suis artibus prodeundi.

Istius

Iſtius eorum conſilij argumentum eſt, quòd hoc mulctæ genus, intactis vt plurimum inferioris conditionis pœnitentibus, percellere tantum ſoleat clariores.

In initio quùm primũ eiuſmodi actus triumphales ob Lutheranos, quos vocant, cœperunt agitari, qui eis intererant curioſiores ſolebant ad abſentes amicos intra atq; extra regnum ipſum ea omnia perſcribere quæ in eis ſpectaculis prodebantur: in primis verò circa ipſos pœnitẽtes quicquid ex eorum ſententijs ; in quibus cauſæ ſuppliciorum reliquarumq; mulctarum referebantur, audiuiſſent. Sanctum tribunal (vt experientia ipſa in dies edocente noua, artifices ſe ipſos ſuperare ſolent) qua eſt in rebus ſuis ſagacitate , maturè ſubolfecit in ipſius damnum illud poſſe recidere : videlicet, eam doctrinã à qua ipſum tantopere abhorreat ea vna ratione diuulgari ac propagari latius poſſe quã ſibi expediret: complures enim qui alioqui eiuſmodi relationibus nunquam viſis potuiſſent in antiqua ſua cæcitate permanere, illarum adiumento inciperent aperire oculos ad agnoſcendum & doctrinam ipſam, & eorum iniquitatem, qui illam perſequantur. Huic

m alo

malo occurſum eſt Sancto tribunali eam cu ram ſuſcipiente, & earum relationum aliquot exemplaria, breuia, ac vt videntur minus nocere poſſe, perſcribente, edêteq; in vulgus, vt qui voluerit, quæ acta ſint, ad abſentes ſcribere, illarum formularũ præſcriptum ſequatur, grauiſsimis intentatis pœnis, ijs qui ad ampliorem narrationem calamum intenderint. Ratio verò conditarum ab eo relationum eſt eiuſmodi: perſona pœnitentis ex nomine & conditione expreſſa mox addunt, quia habuit errorem ſeu errores Lutheranos (erroribus qui tamen ante ſpeciatim referebantur minimè expreſsis) combuſtus, aut ea vel ea mulcta caſtigatus.

Porrò quando Sanctum tribunal errare certè poteſt (etſi eo dementiæ iam peruenerit hominum ſuperſtitio atq; adulatio, vt ſecus aſſerat, ſpiritu Sancto vt volũt illud gubernante) accidit vt aliquando erret, quibuſdam nulla prorſus cauſa aut leuiſsimis demum indicijs cõprehendi iuſſis, cum paucíſsimos alioqui comprehendat ex ſufficiẽti àc legitima informatione. Pleroſq; horum, poſteaquã in ſupradictis ergaſtulis atq; in ea miſeria quam ſuperius reci-

recitauimus, tantiſper dum de eorum cau-
ſis cognoſcitur, ad annum & annos &c. vin-
ctos habuit, comperta demum eorum in-
nocentia cum eos iudicio abſoluere eſt ne-
ceſſe, vno aut altero die poſt theatricũ illud
triumphum eos ad audientiam vocant, ac-
cerſitóſq; nouis atq; grauiſsimis obteſta-
tionibus oppugnant, vt veritatem depro-
mant rigorem iuris alioqui experturi: intẽ-
tatiſq; torturis minitantur aſſerentes exta-
re aduerſus eos ſufficientem informationẽ
&c. Si terriculamentis illis quiſquam per-
motus verbum aliquod ex ijs quæ ipſi op-
tant, emiſerit, eo in ergaſtulum continuò
reduci iuſſo, litem de nouo redintegrant:
Si vero nihil ſe ab eo extorquere poſſe vide-
rint, néq; quicquam alioqui aduerſus eum
alicundè habeant, remiſſo illo commina-
tionum rigore, ad blandiora verba conuer-
tuntur, ſe videlicet meliorem de eo exiſti-
mationem habere inquientes, quare in do
mum ſuam eum remittere conſtituerint:
officij vero ipſius fore vt illis dominis gra-
tiam ingentem habeat, qui ipſi rebuſq;
ipſius vehementer ac paterne conſuluerint
perſuaſum proinde habeat, eos ob perſo-
næ ipſius intuitum in primis verò optimi

de

de se exempli quod in sua captiuitate ipsis exhibuerit, tollerantiæ quam toto eo tempore præse tulerit, singulari eum misericordia prossequutum esse, ac tum quidem prossequi &c. Huiusmodi vnguentis deliniare conantur probi ac æqui scilicet iudices vetera vulnera quæ innocenti prorsus inflixerunt, ac sic demum ad sua remittunt, commendato tamē in primis silentio, atq; eodem vel post cognitam exactè ipsius innocentiam in carcere adhuc (ecquid enim eorum interest alterum vel innocentissimum in prædura illa captiuitate pati?) per multos dies ad vnum atq; alterum à triumphio diē astutè asseruato, vt illo quoq; eodem ferè tempore quo mulctati alij in publicum egrediuntur, egrediente, eum quóq; mulctatum inter alios, leuiore tamen quadam mulcta vulgus existimet, neq; de Sancto tribunali sibi vnquam persuadeat absq; sufficienti informatione quenquam comprehendere.

Qui inter cęteras mulctę partes ad perpetuas siué etiã volũtarios carceres, aut certè ad cõstitutũ (Hic nouos laqos lupi rapaces miseras & incautas irretiẽdi oues moliunt) tem-

tempus aliquod damnati ſunt, etſi in Inquiſitorio carcere amplius non ſint, nè credãt nihil amplius negotij cum ſancto tribunali ſibi ſupereſſe: vbicunq; enim gentium ſibi fuerit deſtinatus extra Inquiſitionem carcer, conſtitutas inſidias quoq; habent, quæ attentè ac continenter obſeruent, ecquo animo, lætonè an iniquo, eam conditionem ferant: quibus etiam verbis animi habitum prodant. Namq; ſi hilariore animo ſint, aut quouis modo in ſua afflictione lætitiam præſe tulerint, reus erit concilio Inquiſitorio, qui ſic fecerit, ac mulctã proinde ſentiet grauiorem. Viſitantur in illis deſtinatis carceribus ab ipſis Inquiſitoribus, verùm eadem plane ratione qua eos in Inquiſitorio ſuo carcere antea viſitabãt, atq; in eoſdẽ omninò fines, vt ſupra dictũ eſt, nempe vt ſpecimen aliquod humanitatis ac miſericordiæ apud vulgus edant: at re vera nouum terrorem ac cruciatum haud iam adeò miſeris incuſſuri. Ibi inquirunt ab ipſis captiuis, & ab eis quibus curæ ſunt an poſteaquam Inquiſitione egreſſi fuerint, quicquam quod ad piam doctrinam pertinere videatur, à quoquam ex cõcaptiuis audiuerint? à quonam? quo vultu

id

id quicquid fuerit, alij exceperint? Item, an conqueratur aliquis acceptæ mulctæ? Omnium maximè an mysterium quodpiá Eleusinæ matris, Inquisitionis inquã, quisquam reuelauerit. Item an fugam è carcere quisquam est meditatus, & eius generis complura. Si nihil eiusmodi inueniant, vacuo ac frustrato reti reuertuntur. Si vero quicquam inuenerint, aduersus reum nouã litem intendunt. Accidit Hispali haud ante multos annos in quadam eiusmodi visitationum, vt captiuo quodam ab Inquisitore Licentiato Gasco post nescio quot annos in arbitrario illo carcere exactos missionem obnixè obsecrante, dominus Inquisitor, qua erat in legibus & vtroq; iure eximia eruditione, adeò se pium in sua respõsione ostendere affectans vt pietatis cancellos, quos vtiq; nouit nunquam, preter-gressus inquisitoria grauitate responderet: Sat nunc (inquit) ferte æquo animo hanc calamitatem: hic enim sufferis pro peccatis omnium, & pro nostris quoq;, atq; etiam pro vestris: ego interea alloquar cæteros dominos Inquisitores, fietq; quod fieri poterit. In has ineptas blasphemias, aut blasphemas ineptias nullus Inquisitor in-

quiſiuit. Cæterùm egreſſus conclaue illud in quo eos captiuos fuerat adeò theologicè conſolatus, cuſtodem captiuorum ſolenniter, ac pro inquiſitoria authoritate obteſtatur, vt diligenter eos obſeruaret, caueretq; nè ex ipſis quiſquam effugeret, alioqui daturus & negligétię pœnas & ad elapſum perſequendú ſumptus omneis.

INTERPRETATIONES SENTENTIARVM.



ABET Sanctum tribunal peculiaria quędam vocabula, quibus nominat mulctarum ſingulas, quibus in pœnitétes ſuos ſolet animaduertere. Itaque, quando hîc quoq; artem inquiſitoriã ſubeſſe non eſt obſcurum, ea etiam ex ipſorũ Inquiſitorũ ſcrinio àc mente hoc in loco interpretari haud ſuperuacaneũ fuerit.

Igitur ex ſententijs aliæ ſunt in quibus ad incendium damnantur viui, atq; vt ſupra dictum eſt, has in eos modò ferre ſolent,

lent, qui puram ipſis fidei confeſsionẽ ediderunt, in qua & conſtanter ad finem vſq; perdurarunt, quos pertinaces ipſi vocant. Alijs ad incendium quidem damnantur, ſed mortui, laqueo ſcilicet ad palum ſupplicij confracta prius gula, his in eos animaduertunt, qui propria veluti fragilitate victi ipſorũ aſſẽtiũtur votis: ſic tamẽ vt indicijs aliquot ſufficientibus ſuſpitionem de ſe fecerint, etſi ore piam doctrinam abnegauerint, animo tamen illis haud eſſe euulſam. Nonnullos ex eis quos ipſi pertinaces vocant, antè incenſum rogum eodem modo extingunt, vt populo è veſtigio ſuadeant, eos igni admotos, hæreſibus ſcilicet eiuratis, ad Romanæ Eccleſiæ doctrinam recurriſſe. Sed de his ſupra. Feruntur & aliæ ſententiæ in ſpeciem mitiores, quas Reconciliationes vocant, eò quòd eis veluti expiati mulctis, qui veritati Dei renuntiarunt, in Romanæ Eccleſiæ gremium recipiantur. Ex cereis extinctis geſtatis in manibus die illo triumphi, reſtibus collo incertis, Sambenitorum ornamentis, veluti ſignis quibuſdam reatus, perpetuò aut ad præſcriptum annorum ſpatium ſuper alia indumenta geſtatis: Item carceribus

seu potius reclusionib9, aut in claustris mo nachorum, aut in priuatis alijs locis constare solent: quarum scilicet reclusionum vt sunt diuersa genera, ita quóq; sunt diuersa nomina. Alias vocant perpetuas irremissibiles, alias simpliciter perpetuas, alias ad statutum aliquod tempus, quo elapso hærendum in eisdem sit postea ad ipsorum Inquisitorum arbitrium: alias præcise ad arbitriũ primarij Inquisitoris, quem, qꝫ omnib9 totius Regni inquisitorijs tribunalibus imperet, Generalem vocant, alias porro ad ipsorum minorum Inquisitorum, qui sententias ipsas tulerunt, arbitrium ac voluntatem. Omnes istæ carcerum differentiæ imitantur rationem Purgatorii, Reseruationis tùm casuum in negotio Pœnitentiario, tùm graduum consanguinitatis atq; affinitatis in negotio Matrimoniali, nánq; ad emũgendum postea quod supererat pecuniæ pœnitentibus, plus minúsue pro redimendi reatus qualitate iuxta pretium ab eisdem ipsis constitutũ singulis inuentæ sunt: Atq; hæc ex inquisitoria misericordia cuius vnius beneficio Pœnitenti, alioqui ob erratum suum qualecunq; perituro eiuratione in primis veritatis, ac de his rationibus redempta salus constet.

Quùm habitum (sic enim vocare solēt tanquam honestiore vocabulo Sambenitum) & irremissibilem perpetuum carcerem sentia continet, eo nomine intelligendum est, quòd nisi post nouem aut decē annos in carcere atq; ea vestis nota elapsos nullus de eius mulctæ remissione sermo sit habendus, nisi Regis munificentia qui, quo libuerit demum tempore præstare id solus potest, illud beneficij mulctato fortè eueniat. Eo verò spatio tēporis exacto, ni fortè nouam de se suspitionem mulctatus fecerit, Primarius Inquisitor accuratè tamen rogatus cultúsq; remittere id totum solet. Quùm dicunt habitum & perpetuum carcerem, nèq; addunt irremissibilem, ad tres annos accipi plerumq; solet, cæterum reseruata postea Primarij Inquisitoris voluntate, è cuius arbitrio pendet vt decursis tribus illis ānis ab eo reatu ex integro reus absoluat aut vt in eo dedecore quo ad vixerit postea vitam degat. Porrò quum dicunt, habitum & carcerem ad tot annos, mensesue, ijs elapsis reus euadit liber, nisi forte præscriptioni illi temporis addiderint quoq; voluntatē Inquisitorum. Clausulam eam vt plurimum adhibere solent,

vt eo veluti iniecto compede, quos voluerint per totam vitam sibi maximè deuinctos reddant. Enimuero quùm dicunt habitum & carcerem ad Primarij Inquisitoris seu aliorum voluntatem, in ipsorum potestate est mulctas illas pro arbitrio aut retinere aut sustollere. Summa. Quib9 cūq; vsi fuerint sententiarū formulis, ad ipsorum demum arbitrium ac voluntatem negotium vsq; reuocatur.

Ratio hunc carcerem ac reatus indumenta redimendi ea frequentior esse consueuit, quòd Rege aulicis puellis puerisue, aut alijs, quibus ob gratiosa obsequia gratificari constituit, aliquot Sambenitorum redēptiones dono dante, is qui accepit donum, solerter inuestigat, vbi & qui ea mulctati pœna sint, quibus illam maioris redimendi & facultas & volūtas suppetat, cum quibus postea de pretio paciscitur, prout potest commodius, pluris minorisue, tùm personæ coementis, tùm etiam ipsius Sambeniti ratione habita: qui enim erant irremissibiles, carius, qui cum carcere perpetuo erant adiuncti, minoris: qui ad certum tempus & Inquisitoris voluntatem, viliori: qui ad Inquisitoris volūtatem tantū adhuc

mino-

minoris vendi solet. Consueuit etiam Rex eadem munificentia vti erga nōnullos, qui ad redimēdos ex Turcica aut Maurica captiuitate fratres aut affines suos ea pecunia Sambenitorum iuuari orant. Ei vero qui Sambenito exui curat, vt vel apud Regem ipsum voti fiat compos, beneuolentiam Inquisitorum atq; etiam scribarum vt sibi antea conciliet, omnium maxime est opus: alioqui vel concedente Rege & pecunia numerata, omnis opera ab ipsis eludi solet vaffricè ac malignè efficacia opponentibus obstacula vel vno hoc verbo, oportere videlicet Regem (atq; etiam Papam ipsum, si is fortè fuit qui absolutionem concessit) melius edoceri de eo negotio, quòd si eo res fuerit deducenda, facilè est ipsis antea minus studiosè cultis comminisci, hominem non esse a reatu suo adeò perpurgatum vt tutò fuerit dimittendus.

Quùm quispiam ex inquisitoria censura carcerem tulit ad Primarij Inquisitoris arbitrium duraturum: & is ob eas causas quas ipse nouit, exorari non vult, tamen néq; saluo pudore repellere intercessores potest, etsi captiuo ipsi aperta iam iniuria fiat diutius detento, negotium se deferre

 ad

ad Inquisitores, qui de ea causa sententiam tulerunt captiosè dicit. Quum ad illos ventum est, respondent, ad Primarium inquisitorem illud ex sententia pertinere, ac sic demùm sese mutuò intelligentes captiuitatem miseri hominis per ludum distinent, quousq; aut libet, aut quem cupiunt hac arte cultum extorquent. Hoc ipsum vsu venire solet quùm mulcta ad arbitrium minorum Inquisitorum est imposita, quùm enim & ipsi exorari nolunt, ad Primarium Inquisitorem rem deferunt mutuò se scalpentes. Itaq; nisi arte quoq; Inquisitoria ac pecunia in primis eaq; haud tenui, à scriba quopiam aut Sancti tribunalis famulo aliquo, qui authoritate præstet, libertatem auspicatus, cum ipsis egeris, nihil efficies. At verò altero ex Inquisitoribus aut præcipuó quopiam Sancti tribunalis membro. pro captiuo preces intendēte, illicò cæteri intelligunt aliquam occasionum sibi notarum, quæ misericordiam ergâ captiuū ciet, præcessisse, ac in primis intercessore ipso precum formulæ inter eos ea de re vsitatæ verbis inherente. Formula est, Precari ipsum dominationes suas, vt negotium talis captiui inspiciatur, de cuius persona deq;

deq; ipſius vita inculpata, maximè vero de optimo patientiæ exēplo, quod in ſua captiuitate exhibuerit, ipſe ſit abūdè edoctus. Adduntur hîc nonnulla verba in commendationē captiui, modeſta tamen nè impēſè ſtudioſus illius videatur: ac demum concluſio eſt vt diſpiciant domini an remittendæ mulctæ aliquis ſit locus &c. Ex ijs quoque qui eiuſmodi durioribus expiationibus reconciliantur, alij dimidia parte bonorum, alij toto, alij certa quadam pecuniæ ſumma prout dominis viſum eſt rei hominis accidere fortunas, mulctari ſolent: id enim a fide quoquo modo deciſcentibus, vt ad rectam eiuſdem normam reuocētur, Fidei patribus videtur in primis conducibile, aut quia iudicio Sancti tribunalis nouum quoddam piaculum ſit hæreticum eſſe & ſimul habere vnde viuat, aut fortaſſe in ſuis artibus deprehenderunt, vt helluoni temperata dieta, ita etiam homini ad hæreſes procliui, nè in eas incidat, antidoti eſſe genus carere victu vel vſq; ad mendicitatem. Ex ijs nonnullos, vt ſupra dictum eſt, ad verbera quoq; damnant, alios ad verbera & ad trāſtra: atq; hoc ſæuerioris mulctæ genere in aduenas vt plurimū vti ſolent

 vel

vel leuiter peccantes, quo Sambeniti contemptum (est enim illis ridiculum) acrioris mulctæ grauitate compensent. Atq; hæc omnia ex Inquisitoria misericordia. Postremo atq; eodem leniore mulctæ genere in eos animaduertunt, qui ipsorum iudicio leuissimé errauere. Illud verò est, discooperto capite & absq; pallio, tùm cerea candela in manibus gestata in theatricum illud spectaculum educi. Ex his quosdam iubent abiurare de vehementi, alios de leui: sunt verba ipsorum. Abiurationem de vehementi vocant, cúm de cuiuspiam causa non satis apparuit quid demum fuerit statuendum, comprobationibus legitimis delatorem destituentibus, nèq; eo ipso delato quicquam cēsura Inquisitoria dignum confitente. Hunc quia néq; vt apertè hæreticum damnare possunt, neq; omnino immunem pronūciare lubet, præsertim extātibus qualiscūq; fidei malis indicijs, pro vehemēter suspecto pronuntiāt, ac demum iuxta hanc suspitionē eiurare iubent. Eiusmodi reum deprehēsum postea vel in leuissimo næuo Papisticæ doctrinæ, pro relapso habēt, ac incendio adiudicāt. Abiurationē de leui vocāt eadē plane ratione, nisi quód erratis eorū iudicio leuioribus siue con-

stent, siue minus, eam præcipiunt: neq; si in eisdem postea mulctatus relabatur, pro relapso habetur, vt mortis iudiciũ ferat, licet delicti repetiti qualificatio, hoc est æstimatio, penes Inquisitores ipsos futura sit. Hoc abiurationis genere, vt plurimùm, vti solet in erratis alijs, quæ lutherana nõ sint, quale est, si dijs placet, Fornicationẽ simplicẽ non esse peccatũ. Hic error cerea cãdela & abiuratione de leui, vt res planè leuicula, mulctari solet. Nõnunquã etiã cum ijs qui eo errore detinẽtur, agunt verberibus & quidẽ benè inflictis: cæterùm, vel si millies postea repetiuerint errorẽ modò ad Inquisitoriam misericordiã cõfugiant, non erit capitale.

Et his quidẽ rationibꝰ Patres fidei susceptos in fide infirmos, iuxta Pauli sententiã, in rectã viã reducũt. Atq; hæc de Artibus Inquisitorijs, tãtisper dùm diffracto toto illo nequitiæ scrinio, apertis vulgatisq; thesauris illis recõditæ iniquitatis, id quod in omnes impios hypocritas deuastationi Regni christi & gloriæ ipsius cõtẽptui, eiusdẽ defensionẽ, zelũ, ac propagationẽ impiè atq; ĩpudenter obtẽdẽtes per Prophetã suũ Deus cõminatur, in Sãctã Inquisitionẽ, Patres fidei, Sãctũ officiũ, ac demũ in totũ illũ mysticũ peccati hominem suo tẽpore pro-

culdubio reuelādum adimpleri videamus. Mala.2. Et nunc (inquit) ad vos mandatum hoc ò Sacerdotes: si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriā nomini meo, ait Dominus exercituum, mittā in vos maledictionem, & maledicam benedictionibus vestris, imò & maledixi illis, quoniam non posuistis supra cor. Ecce ego corrumpam semen vestrum, & dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum, & assumet vos secum, & scietis quia nisi ad vos mandatum istud. Resipiscite.

Exem-

EXEMPLA

QVAEDAM SPECIALIA QVIBVS INQVISITORIAE ARTES

in ipso porrò exercitio atq; vsu dilucidius inspiciuntur.



Pponere hoc in loco visum est inquisitoriarum artiũ exẽpla quædam, in quibus, licet veluti in aceruo quodã nullóq; ordine tumultuariè cõiectis prçter illa quæ in suis quæq; locis apposuimus, inspicere licebit dilucidius inquisitorias artes, vt pote in ipso vsu atq; exercitio eorum etiã tùm immanitas, tùm auaritia inexplebilis, tùm iniquitas, iurisq; omnis peruersio veluti in tabulis, suis coloribus depictæ & in sublimi defixæ apud eos, qui illas intuiti fuerint, cõmodius pro meritò traducẽtur. Adde etiã, quòd vel in eorum gratiam, qui propter Euangelium

Chri-

septem annos, cum primum in Lutheranos in Hispania, Hispali præsertim ac Valleoleti in magno numero repētè atq; ex improuiso erūpentes animaduerti cœptum est. Id verò fuit āno Quinquagesimo septimo aut octauo à parta per christū salute supra sesquimillesimū, ad annū sexagesimū quartū.

In Inquisitione Hispalēsi captus fuit ob Religionē eo tēpore Anglus quidam Nicolaus Burtonus vir in primis pius, quē postea in fidei cōfessione & eiuratione impietatis immobiliter perseuerantē cōbusserūt. Huius, quùm primū captus est bonis omnibus ac mercibꝰ, quarū causa in Hispaniā venerat, in Sequestri rationes, pro more Inquisitorio, redactis, inter ea quæ ipsius erant, multas quoq; opes merciū inuoluerāt, quæ ipsi ab alio Anglo mercatore Lōdini agēte, pro more mercatorū, factoris nomine, vt dicūt. fuerant cōmēdata. Is accepta Londini factoris sui ac merciū suarum captiuitate, procuratorē cum tabulis in Hispaniam misit, repetitū res suas. Igitur procurator Hispalim appulsus, tabulis àc scriptis omnibꝰ apud Sācū tribunal repræsentatis, petit illarū merciū sibi fieri potestatē. Respōdēt domini, vt scripto agat, & aduocatum deligat, (haud dubie ꝓtrahēdæ litis gratia)

atq; illi ipsi humanitati scilicet, consulentes, ei quendam designarunt, qui supplices libellos ac scripta omnia, quæ in Sancto tribunali offerenda forent, illi conficiebat, pro singulis scriptis octo realibus auarè exactis, licet tantundem illi commodi, ac si nulla forent, scripta ea præstitissent. Aderat hic homo per totos tres aut quatuor menses singulis diebus bis, manè videlicet & à prandio, ad fores Inquisitoriæ arcis petens ac obsecrans genubus ad terram flexis dominos Inquisitores, vt expediretur, præsertim verô dominum Episcopum Tarraconensem, cuius supra mentionem fecimus, qui primarij Iuquisitoris loco Hispali tunc erat, vt is, pro primaria sua authoritate, iuberet res suas sibi restitui. Præda verò erat ingens ac opima recuperatuq; proinde difficilis. Post quatuor demum totos menses in precibus ac inanibus obsecrationibus insumptis responsum tandem accipit, scriptis quibusdam, eis quæ antea attulisset amplioribus, ex Anglia allatis vt rerum sibi fierat potestas, esse opus. Proficiscitur continuo Anglus Londinum, & allatis secum quas desiderauerant amplioris fidei tabulis Hispalim redit, eisq; in Sancto

tribunali repræſentatis, domini reſponſum differunt, grauioribus occupationes, quibus tum diſtinerentur, cauſantes. Eodem reſponſo ſingulis diebus repetito hominẽ diſtinuerunt totos alios quatuor mẽſes. Exhauſto iam pecunia Anglo, & expediri adhuc inſtanter ſupplicāti, rem ipſam ad Epiſcopum reijciebāt: conſultus Epiſcopus ſe vnum tantũ eſſe, rem verò ad alios Inquiſitores quoq; , vt expediretur, pertinere aiebat: atq; ea arte ab alijs in alios relata culpa, nullus apparebat liti finis. Tandem die quadam expedire hominẽ ipſius victi importunitate decreuerunt. Expeditio verò fuit, Licentiatus Gaſcus, vnus ex Inquiſitoribus, homo inquiſitorijs fraudibus apprimè ſtrenuus, iubet eum à prandio adeſſe. Eiuſmodi nuntio lætus Anglus, de reſtituendis ſibi rebus ſuis, déq; ſe ad vinctũ putandarum rationum cauſa introducẽdo, quemadmodũ ab ipſis Inquiſitoribus, licet non benè intellectis, ſcilicet opus fore, vt vinctum ipſum conueniret, ſæpe audierat, eos iam ſerio cogitare credens, ad veſperã redijt. Reuerſam iubẽt Cuſtodi carceris, vt in quodam carcere, quem illi nominarunt, recludat. Anglus ad conferendas rationes

cum alio se introduci primū credens, haud multò post vinctum se atq; in tenebroso ergastulo, præter suam expectationem deprehendens, intellexit demùm, aliter rem habere quam ipse cogitarat. Post tres aut quatuor dies educunt eum in audientiam: & quando iuxta ipsorum artes haud malè id quadraret, res suas ab Inquisitoribus repetente Anglo, absq; vlla alia præfatione Aue Mariam recitare eum iubēt. Recitat ille simpliciter in hunc modum, Aue Maria gratia plena Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus & benedictus Fructus ventris tui Iesus, Amen. Excipiuntur scripto omnia, & de repetūdis rebus omni sermone omisso, neq; enim opus erat, iubent eum in carcerem suum reduci, & actionem aduersus eum, vt hæreticum instituunt, qui iuxta Romanæ Ecclesiæ morem Aue Mariam non recitaret, quin potius in suspecto loco eam finiret, deberet enim addere, Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus. Qua præcisa cauda diuorum intercesſionem non probare, haud obscure videretur: atq; ita demum, iusta occasione inuenta, mansit captiuus per cōplures dies. Eductus postea fuit in triumphum

phũ paludatus, fortunis omnibus, pro quibus, licet non ſuis, vtiq; certabatur, exutus, & inſuper ad annuum carcerem damnatus. Nomen illi erat Iohanni Phrontomo ciui Briſtolenſi.

Inter proſcriptorũ bona, aliorũ quoq; opes confiſcare Sancto tribunali néq; nouum eſt néq; non frequenter vſitatum. Vt enim fieri poſſet, vt ſi importunis allegationibus vllus concederetur locus, nonnullis fraudulentis adductis teſtimonijs bona ſua, quæ aliorum eſſe comprobarent, e Fiſco eriperent, Sanctum tribunal eiuſmodi contentiones vitare, néq; eiuſmodi fraudibus vllum locum relinqui cupiens, inferre illi iniuriam, quam ferre, ſibi tutius fore ducit. Paucis ab hinc annis venit Hiſpalim mercator quidam aduena prædiues, cuius bona ob religionẽ fuerunt poſtea Inquiſitorio Fiſco adiudicata. Inter ea bona proſcripta quoq; fuit nauis ſpectatæ pulchritudinis, qua meliorem opinione omnium Bethis antea nunquam viderat. Probauit homo legitimis teſtimonijs nauem illam ad ſe non pertinere: neq; id obſtitit quin rationes quibus ſibi illam adiudicaret, in ſuis artibus Sanctum tribunal adin-

ueuerit. Mercatori erat nomen Rehukino.

In eadē Inquiſitione Hiſpalenſi animaduerſum eſt cenſura inquiſitoria, citrà mortis ſupplicium, in pium quendam ciuem, Religionis ergô. Inter alias mulctæ partes, bonorum omnium ac prouentuum, ex quibus honeſtè ſatis antea viuebat, proſcriptionem tulit, vtq; in quodam priuato carcere ad decennium fortunis omnibus exutus recluderetur. Exactis in eo carcere diebus aliquot, in quo in ſumma paupertate ex pijs hominibus collecto ſtipę ſuſtētabatur homo aliâs minime ſordidus, notarius quidam Inquiſitorius eum aditj, mādatum ex ſcripto adferens Sancti tribunalis, quo centum & triginta ducatorū ſummā expenſarum ac victus nomine, dùm in arce Inquiſitoria fuerat, numerare jubebatur. Reſpondit ad mandatū id quod erat verum, nempe expilatis ab eiſdem ipſis fidei patribus àc direptis ex integro bonis ſuis omnibus, vndê eam pecuniam ſolueret, nihil ſibi fuiſſe reliquum. Reſponſum hoc dominis haud fecit ſatis, ac notarium ſecundò mittunt iubentes, vt intrà paucorum dierum ſpatium, quod aſsignarunt, pecuniam illam ſolueret, aliogui vt ex pri-

uato

uato illo carcere eductus in publicum ciuitatis carcerem deduceretur, ibiq; detineretur quousq; numeraret. Improuidi videlicet homines relaturi in Fiscum hominis bona omnia sibi ipsis antea pro expensis satisfacere non aduerterunt.

Ceperunt eodem ferè tempore in eadem Hispalensi Inquisitione nobilem quādā fœminam Ioannam Bohorquiam, vxorem Francisci Varquij viri in primis clari ac Higueræ domini, filiam verò Petri Garsiæ Xerezij Hispalensis ciuis opulentissimi. Captiuitatis causa fuit, quòd soror ipsius Maria Bohorquia spectatæ pietatis virgo, quam postea ob piam confessionem igni tradiderunt, in tormentis declarasset, se aliquoties cum sorore sua de ea doctrina contulisse. Quúm illam in carcerem coniecerunt, gerebat vterum semestrem ferme, qua de causa néq3 adeò arctè eam recluserunt, néq3 cū ipsa agebāt ea sæuitia qua cū alijs vinctis solent, fœtui nimirum consulentes. Octauo à partu die fœtū illi auferunt, quinto decimo verò eam recludunt, eandemq3 cum alijs vinctis omnibus conditioné cogunt experiri, ac causa ipsius quo rigore quibusq3 solent artibus agitari cœpta In

tãta calamitate id tantũ ſolatij afflictæ cõtigit, quod virgo quædã valde pia quam ob pietatẽ poſtea inquiſitorius quoq; ignis abſumpſit, tetri illius carceris ſortè data eſt comes. Eam puellã ad torturã quadã die eductã, atq; in carcerẽ à torturis reductam adeò quaſſatã omnibuſq; mẽbrorũ compagibus diſſolutã, vt in iunceo lectulo ad laborẽ potius quã ad quietẽ vtriq; conceſſo, vix ac niſi magno cũ cruciatu volueretur, ſumma animi pietate, quãdo externis officijs nullus aut certè perexiguus ibi erat locus, proſequuta eſt. Vix iſta cœperat à torturæ quaſſatione cõualeſcere, quũ ad eundem ludũ illa educitur, ibi tãta atrocitate in Burro torquetur, vt cordis ad ipſas brachiorũ, femorũ, ac crurũ tibias vſq; penetrantibus, carceri moribunda reſtitueretur, ſanguine per os affatim è veſtigio erũpẽte, diſruptis haud dubiè viſceribus, octauo demũ a tortura die ex immaniũ illorũ leonũ vnguibus ereptã Deus in æternã quietẽ ad ſe recepit. Laborarunt certè ipſi, nè hãc tenellã heroinam in tormẽtis, eos adeò crudeliter necauiſſe, ad vulgi aures perueniret, at qui cõſpexerunt eam crudelitatẽ tacere non potuerũt. Si aut ſtryx, aut venefica, aut [illegible]riti liberorumue parricida hæc fœmina

fuiſſet ad flagitiorũ cõfeſsionẽ ex ipſius ore exprimẽdã ſecularis, quẽ vocant, magiſtratus eiuſmodi tortura expertus eſſet, cũ functionis ſuæ ratio pro more illi redẽda foret, haud abiret illi impunè, eiuſmodi ſęuę atq; intẽperatæ torturæ eum quoquã poſtulãte. Cæterúm a Sancto tribunali non exiguntur eiuſmodi rationes: & licet ipſi in tormẽtis necare impunè, vel eos ipſos de quorũ innocẽtia teſtimoniũ fert poſt exactiorem cauſæ cognitionẽ: vt in huius honeſtiſsimę fœminæ facto accidit. Quùm enim ad eam cõdẽnandã ſufficientia eos teſtimonia, licet omnibus inquiſitorijs artibus cõquiſita ac procurata, defeciſſent, quãdo accuſata eo nota foret loco vt negotij ipſius apud plebẽ eſſet omninò aliqua reddenda ratio, neq; res vllo modo diſsimulari poſſet, in primo triũphi actu qui ab ipſius morte fuit indictus, ſentẽtiã ſuã pronuntiari iubent in hæc verba. Quonia hæc domina in carcere obierit (ſuppreſsis haud dubiè cauſis) & eius cauſa inſpecta ac diligẽter examinata innocẽs fuerit deprehẽſa, idcircò Sãctũ tribunal eã ab õnib9 grauaminib9 per Fiſcalẽ illi intẽtatis pronũtiare liberã, liteq; prorſus abſolutã in ſua tũ innocẽtia tũ exiſtimatione reſtituere, iubereq; bona ipſius õnia,

quæ in Sequeſtri rationes venerant, eis re-ſtitui ad quos ex iure pertinerent &c. Ac ita demum poſtquam eam in tormētis bel-luina truculentia necauerunt liberam pro-nunciarunt. Eiuſmodi barbararum imma-nitatum rationē Deus ipſe aliquando exi-get, quando ea authoritate in terra defen-duntur, quam ad eas ſeuerè vlciſcendas in-ſtituerat.

Anno Chriſti 1563 Sanctum tribu-nal rete ſuum in ſinum quendam expande-re meditatum eſt, vnde niſi meliore, aut de-teriore poſtea conſilio capturam remitte-re ſtatuiſſet, eam imprudens cladem Ro-manis agris inferret qua nulli hactenus Lu theri grauiorem forte vel imprudentes in-tulerunt. Res ſic habet: Fuere nonnulli, curioſiores fortaſſe quā romanis rebus ex-pediret, qui de Monachorum ac clerico-rum turba acerbè querebantur, quòd ad ci-endos cum fœminis amores ſolicitandāq; honeſtarum matronarum, virginumq; pu-dicitiam, remedio, vt fertur, iam olim vſi-tato, auriculari confeſsione abuterentur. Res ſancto tribunali viſa eſt conſultatione ac remedio digna.. Cæterùm quòd nego-tium eſſet cæcum (néq; enim quiquā erant

velu-

veluti in communi ac vulgato malo, nominatim delati) publico edicto, quod per omnes Archiepiſcopatus Hiſpalenſis eccleſias ſolenniter fuit publicatum, decernunt, vt quicũq; ſciuiſſent, audiuiſſentue de quibuſcunq; monachis aut clericis, qui ad eiuſmodi flagitia, cõfeſsionis ſacramẽto abuſi eſſent aut aliâs ex confeſſoribus quempiã cum filia aut filiabus Confeſsionis eiuſmodi mala negotia quoquo modo agitaſſe, eũ intra triginta dierum ſpatium Sancto tribunali indicarẽt. Cenſuræ quoq; in negligentes, contemptoreſue quam grauiſsimæ adhibitæ. Publicato decreto, adeò ingens mulierum turba ex vno Hiſpalenſi ciuitate indicatum peſsimos confeſſores in arcẽ inquiſitoriã accurrebat, vt vel viginti ſcribę cum totidẽ Inquiſitoribus excipiendis indicum depoſitionibus non ſufficerẽt. Itàq; negotiorũ multitudine penè obruti domini Inquiſitores, triginta alios dies indicib9 aſsignarunt, néq; tantulo temporis ſpatio adhuc ſufficiente tantundem tertiò, quartóq; induciarum conſtituere coacti ſunt. Pleriſq; enim honeſtis matronis atq; ſublimioris cõditionis alijs ex cenſurarum atq; excomunicationis ſuperſtitione hinc vrgẽ-

te conſcientia, indè virorum, quos ſiniſtræ quapiam pudicitiæ ſuſpitione offendere vererentur, reſpectu eas domi continente, quoduis tempus ad conueniendos Inquiſitores haud cenſebatur oportunum, quare & velatis Betnico more vultibus & quoad poterant occultiſsimè dominos adibant. Haud paucæ, quæ in illo Patefactionis tempore virorum in obſeruando diligentiam prudentia ſua aſtúue ſuperare nequiuerunt, amaræ Zelotipyæ aculeos ipſorum animis infixère. Ex alia parte periucundum erat ſpectaculum monachorum & clericorum demiſsis vultibus cogitabundi ac melācholici ex malè ſana conſcientia incedentium, atq; horis omnibus expectantium tremebundi ac conterriti, cum quiſpiā ex Inquiſitorijs familiaribus eis manus inijceret: néq; latum vnguem aberat, quin pleriq; ipſorum, néq; ab re, exiſtimarent, turbulentiorem in ipſos tempeſtatem ortum iri quam quæ in Lutheranos per idem quoq; tempus graſſaretur. Verum Sanctum tribunal re ipſa edoctum non modò ſibi ipſi. verum etiam vniuerſæ Eccleſiæ Romanæ factioni periculoſiſsima ea conſilia eſſe, vnumque illum conatum, ſi vltra progredere-

deretur, vt minimum, ſatis fore ad ſummam atq; inſanabilem inuidiam eccleſiaſtico ordini conciliandam, in primis vero auricularis Confeſsionis authoritatẽ, quæ alioqui ex plumbeis aciculis iam modo pendere videatur, ex hominum exiſtimatione prorſus abolendam, etſi negotium, ſi quod aliâs, Inquiſitoria tum Inquiſitione tum animaduerſione foret ſatis dignũ, tempeſtiuè ac præter omnium expectationem retulit pedem, ſepultis etiam & æternæ obliuioni mandatis illis flagitiorum aceruis, qui ex legitimis iudicijs iam conſtabant. Fama fert clericorum aut monachorum nomen communi opera ingenti pecuniæ vi Papæ nares emunxiſſe vt bono eo odore demulſus vniuerſo Confeſſorum ordini diploma concederet, quo omnia illorum hac in parte errata ex paterna pietate remitterentur, præciperetúrq; Inquiſitoribus vt ab incœpto deſiſterent, & quæ acta erant, æterno ſilentio premerentur neq; in hominum conſpectum vltra prodirent. Cæterùm inquiſitoriarum rerum peritis hoc non videtur veriſimile. Etſi enim illud Papa concederet tamen Sanctum tribunal eius eſſe poteſtatis

vt

vt cum quicquam seriæ rei perficiendum suscipiat, vel ipsius Papæ authoritate opposita ab incœpto desistere non soleat. Frequentiore in vsu esse vt Papæ authoritati illud opponatur, atq3 aduersus eum obtineat, quod in insequenti exemplo iam apparebit.

Læserat biennio antea per eandē propemodum imprudentiam, Sancti tribunalis nassam Romanus Pōtifex, Iubilæi, quod Plenissimū ipsi vocant, diplomate in Christiani orbis salutem, cui scilicet Christus minus abūdè prospexisset, diuulgato. Præter ingentes alios indulgentiarum ac expiationum aceruos, tactis quoq3 Lutherana labe eo diplomate consulebatur: adeò vel ex ipso Euangelij reti quæstuosam sibi nassam nouit facere ingeniosus artifex, & telum quod in ipsius perniciem Christus vulgare orbi hoc tempestate fecit, quùm vitare vulnus nequeat, vel in suum lucrum conuertere non desperat. Diplomatis verba erant, vt quicunq3 Lutheranis dogmatis ac opinionibus quoquo modo adhæsissent, resipiscētes a furore scilicet, per quēcunq3 Confessorem ab ea labe absolui possent. Astutū certè & antiqui serpentis con-

silium

filium. maxima rerum ea de cauſa pertur-
batione in Hiſpania ac in primis Hiſpali,
vrbe omnium Hiſpaniæ longe celeberrima
per illud tempus animaduerſa & quòd Pec
cante multitudine, & in primis ad defectionem adijciente animum, facilius minuſq;
periculoſe regnum in officio retinetur ſimulatione quadam vniuerſalis clementiæ
quàm ſæuera ac pertinaci vindicta. Deſiderari hîc tantum poterat Sancti tribunalis incolumitas, cuius haud magnam rationem Pontifex videretur habuiſſe. Verùm
illud hoc diplomatis articulo, quo vniuerſa illa ingens præda è manibus ipſi haud
dubie eripiebatur, vehementer offenſum,
damnata illa intempeſtiua Pontificis clementia, ei abſq3 vllo pudore ſeſe oppoſuit,
ac ſummota omni rei cõtrouerſia, pro imperio præcipit, nè illud Iubilæum reciperetur, néue publicaretur, quòd ſancto tribunali præiudicaret: quare néq3 receptum
neq; publicatum fuit. Videre hîc licebat
Satanã aduerſum ſe ipſum diuiſum. Haud
obſcure hinc apparet, Pontificis Romani
obedientiam, quam probi iſti domini igni
& ſanguine alioqui vindicant vt fidei articulum, cæreum naſum illis re vera eſſe, quē
qua-

quaqua verſum lubeat, contorquent: eíſq; pro laqueo & reti quo homines capiant, haberi potius, quam pro fidei articulo ex cuius obſeruatione ipſi ſalutem ſperent.

Cuiuſq; tyrannidis proprium eſt clementiam in primis iuſtitiamq; odiſſe, vna vero crudelitate atq; ſæuitia niti, vel cum ſummo odio timeri affectantis, quando alia æquiore ratione conſiſtere ſe non poſſe videt. Ita ille dicere erat ſolitus, Oderint, dúm metuant. Si quis animaduertat, nullam fuiſſe hactenus tyrannidem deprehendet, quæ hanc legem Sancto tribunali pertinatius magiſq; tyrannicè obſeruauerit, affectata quadam tum iniquitate tùm ſæuitia vnum terrorem incutiente, adeò vt ea ſentētia nihil magis ſibi in votis videatur. Oderint, dum metuant, res adeò leuiculas vt vix vllam reprehenſionem mererentur, ſeueriſsimis atq; modum omnem excedētibus caſtigando pœnis: id quod exemplis ſubſequentibus comprobatur.

Epiſcopus Tarraconēſis Hiſpali Inquiſitor primarius de quo ſupra meritā ſactitatis ſuæ mentionē fecimus, Eccleſiæ túm rebus eiuſmodi lætis deambulationes, genijque indulgentias exigentibus, æſtate quadam

quadam ad amœnos Bethicæ ripæ hortos animi gratia cum vniuerso inquisitorio satellitio atq; episcopali scilicet apparatu pro cõsueto sibi more est egressus. Ad stagni crepidinẽ eius horti, in quo domin9 Episcopus tum voluptati indulgebat, sedebat fortè ludibũdus hortulani filius bimus aut fortè trimus. Vnus ex pueris domini Inquisitoris extorta è manu filioli hortulani arũdine qua ludebat, ploratus ei excitauit. Hortulanus audito plorãte filio mox adest, & causa pueriliũ lachrimarũ intellecta, succenset inquisitorio famulo, petitq; arũdinẽ puero restitui: sed eo minus obtẽperãte, ac insolẽter cõtẽnente rusticũ, arũdinẽ is è manu arripit, quã dum Inquisitorius famulus pressiusculè conatur retinere, arundinis stipulæ acie in manu nõnihil est læsus. Haud erat læthale vulnus, mẽbriue cuiuspiã mutilatio, quæ mulcta sæueriore foret vindicanda: sed scalptura quædã cute tenus qualem arundinis cõfractæ acies efficere poterat, puerile planè vulnus. Adit herũ suũ nõ procul deãbulãtẽ puer Inquisitorius quæstũ sanguinẽ, hortulanũ capi iubet inquisitor & in arcẽ inquisitoriã trahi, vbi eum in prægrauibus cõpedib9 detineri fecit per totos nouẽ men-

menses, iacturam in fortunis suis, alloquî satis tenuibus, pauperi homini non facilè resarciendam recipientem, liberis interea & vxore fame fortasse pereuntibus, quòd scilicet inquisitorio puero, veluti sancti quoque tribunalis membro, non detulerit. Post nouem demum menses eum remittũt persuadentes maiore longe misericordia quã pro culpa sua ergâ eum fuisse vsos.

Erat Hispali homo quidã pauper ac ex sudore suo quotidianũ sibi & familiæ victũ parans, cui clericus quidam vxorem violenter abductam detinebat, nulla interea neq; Inquisitione, neq; alterius tribunalis authoritate atrocem iniuriam vindicante. Is pauper, dum inter alios eiusdem conditionis homines de Purgatorio fortè exoriretur sermo, excepit ipse rusticana potius simplicitate quàm certo consilio, se satis quidem habere purgatorij, cui pessimus nebulo vxorem violenter auerterit &c. Is sermo ad aures boni clerici delatus ingeminandi in pauperem iniuriam occasionẽ obtulit, illúmq; vt male de Purgatorio sentientem apud Inquisitores accusat. Erratum hoc pauperis Sancto tribunali dignius est habitum, in quod authoritate inquisito-

toria vindicarent, quàm ſcelus clerici. Itaq; ob illud tantulum verbum miſer ca-capitur, detruditur in Inquiſitorijs ergaſtulis biennio toto, ac demum in triumphum eductus damnatur ad geſtandum Sambenitum per triennium quod in priuato carcere exigat: eoq; exacto, an dimittendus liber, retinendúſue adhuc ſit in carcere, do minorum Inquiſitorum arbitriũ eſto. Néq; qualibuſcunq; pauperis alioqui hominis fortunis eſt parcitum, vt vxor clerico, quod verò ſupererat tenuiſsimarum fortunarum poſt diuturnum illum carcerem, Inquiſitorio cederet Fiſco. Atq; hæc eſt illa Hiſpanica Inquiſitio quæ tam acriter fidẽ Chriſtianam aſſerit, ab hæreſibus religionem purgat, in hæreticos animaduertit.

Erat apud vrbem Gadditanam aduena quidam, tamen in Hiſpania per viginti annos inſertus, qui communi ſuperſtitione ductus hæremum in ſacello quodam incolebat religionis ergo. Is audita in ſacello ſuo ingentis multitudinis captiuitate eorum qui ob hæreſes, quas dicebant Lutheranas, Hiſpali ab Inquiſitoribus quotidiè capiebantur: audito quoq; Inquiſitorùm decreto, quo præcipiebatur ſub illis exco-

municationum terriculamentis, vt quæ eis de rebus vel de alijs vel de se ipso quisquã nosset, Inquisitioni quamprimum indicaret: ergâ eos enim qui se ipsos ita prodidissent, dominos Inquisitores singulari clemẽtia solere vti, stupidus magis quã simplex heremita Hispalim venit, Inquisitores adijt, se ipsum defert. Peccatum erat, quòd cum ante viginti annos Genuæ esset, audiuissetq; fratrem quendam suum eis de rebus, veluti de hominis iustificatione per fidem in Christum, de Purgatorio, & id genus alijs disputantem: visa illa sibi fuerint non mala, etsi eorum postea nunquam vel meminerit (Pius scilicet heremita) Se proindè peccatum suum accusatum ac misericordiam petitum venisse. Accepta ea confessione domini Inquisitores, (fortasse vt vinctorum numerus ea accessione augeretur, iubent suum heremitam in carcerem detrudi, vbi multis exactis diebus in triumphum eductus Sambenitj & trimestris carceris & heremiticarum opum proscriptionis sententiam tulit, néq; dispudet dominos Inquisitores, eiusmodi facetas nænias vel in publicum educere vel tam seuerè punire etiam in suis.

In illo eodem triumpho eductus fuit quoq; honestus quidam ciuis Hispalensis sine pallio & pileo ceream candelam manu gestans, nũmaria etiam crumena centum ducatis hausta in expẽsas scilicet sancti tribunalis, postquam annum in Inquisitorio carcere exegerat, tantum quòd dixisse est deprehensus, immoderatos illos sumptus, qui in exigendis Christo scilicet in cœlis iã agenti, die Magni Iouis operosissimis illis molibus papyraceis ac carbasaceis (monumenta abusu vocabuli vulgo vocant) illos item, qui in festo panis, quod Corpus Christi dicunt, profundi solent (Sunt enim Hispali prodigiosè immoderati) acceptiores fore Deo, si in egenos, aut in locandas bonis viris orphanas virgines Pauperes profunderentur. Hoc dictum Inquisitoriã tùm censuram tum mulctam, quam diximus, subijt: & author veluti de Lutheranismo sùspectus, de vehementi abiuratus.

Eductus est in eodem triumpho pauper alius quod inimicitias fortè gerẽs cum quodã clerico Astigitæ vrbis Bethicæ coram alijs de ipso dixerit, Deum inter manus nequissimi adulteri illius descendere, se credere non posse. Vicarius ordinarij ob

illud dictum eum tum mulctauerat. sed clericus ea vindicta non contentus apud Inquisitoriũ tribunal Hispali eũ postea blasphemiæ postulauit: neq; Ordinarij mulcta prior obstitit, quin iussu Inquisitorum captus & in carcerẽ per annum reclusus, eductus demum in triumphũ sine pallio & pileo & cæreã candelã manu gestans ac lingua ligneo morsu capta in blasphemiæ scilicet vindictam de leui abiuratus secundò mulctaretur.

Auxere eductorum ordinem in illo eodem triumpho studiosi iuuenes duo: alter quòd in albo suo reposuisset quædam carmina incerto authore cõfecta eo artificio, vt vel in summã Lutheri laudem, vel vituperium, eadem verba interpretari possent. Is hoc solum nomine post integri anni carceres eductus fuit in triũpho absq; pileo & pallio cum candela cærea, vbi exilij a toto Hispalẽsi tractu, ad triennium de leui abiuratus, mulctam tulit. Alter quod eosdem versus ob ingeniosum artificium transcripsisset eandem censuram est expertus, exilio tantum in centum ducatorum mulctam ad Sancti tribunalis sumptus commutato.

Eiusmodi exemplis haud obscuræ tyran-

tan-

rannidis totos libros implere nō foret difficile, nisi quæ posuimus satis esse arbitraremur ad hominum aures vellicādas vt ad complura, eáq; insolentiora quæ Sanctum tribunal noua quotidiè de se edit, oculos animósq; intendant: quibus perspicuè docet quo Sancto spiritu regatur, ac dirigatur in omnibus suis actionibus, quid demū in ipsis quærat, quóq; iure ipsi quadret Sancti tribunalis, ipsis vero Inquisitoribus Patrum fidei nomen, quo hominum mentes hactenus perculserunt. Neq; difficile cuiuis iā erit diuinare, augeaturne ac propagetur istis rationibus Christiana pietas, Dei veri agnitio ac cultus, Christiq; Regnum pijs omnibus exoptabile, an destruatur potius, dissipetur, ac aboleatur Satanæ regno, quod mendacio constat, fraudibus, dolisq; augetur, sæuitia, latrocinijs, parricidijs iustorum retinetur, aucto atq; in immensum propagato.

PIORVM QVORVMDAM MARTYRVM CHRISTI ELOGIA, QVI CVM MORTIS SVPplicium ob Euangelii Confeſsionem Chriſtiana conſtantia tulerint, Inquiſitores poſtea ſuis eos artibus perfidię ac defectionis infamarint.



Aud abundè ſibi ſatisfactum putant Inquiſitores acerba eorum morte qui contẽpta ipſorum ſęuitia coram ipſorum tribunali conſtanter Chriſtũ faſsi ſunt, niſi etiam omnibus ſuis artibus adhibitis pro virili ſua conẽtur auferre illis animorum quoq; vitam, qui Chriſtus eſt in illis per eandem fidem habitans cui illuſtre teſtimonium & viuentes & morientes reddiderunt. Verùm quùm conatus ſuos omnes, potẽti ſua manu Chriſto retinẽte ſuos, ex qua, vt ipſe dicit, nemo eos vnquam ex-

torſerit , fruſtratos atq; incaſſos vident, auferunt illis demùm quod poſſunt,bonum nempè glorioſę conſtantiæ ſuæ nomen falſis poſt eorum obitum rumoribus diſſeminatis (atq3 etiam antèquam deſtinata de ipſis ſumãtur ſupplicia in ipſo theatro,captis tamen prius illorum linguis, nè reſpondere quicquam poſsint) ſcilicet veritatis agnitæ pertæſos ad Romanæ Eccleſiæ mendaciũ & tenebras rediјſſe. Geminum iſtud eſt Satanæ opus , & ſpiritus ſui aſsiſtentiæ in ſancto officio reſidẽtis perſpicuũ teſtimonium , quo non ſolum pios martyres conſtantiæ ſuæ debita priuat laude, verum etiã Eccleſiam Chriſti defraudat & exemplo & lætitia qua de ea alioqui frueretur. Et quãdo in nonnullis , quos vocant , Fidei actibus cùm quibuſdam , de quorum fortitudine atq3 conſtantia nos Deus reddidit certiores,illud ipſum Patres feciſſe,cõſtat, expedit omnino ſuperiori tractatui id appendicis vice additum in lucẽ edere,vt qui pijs martyribus debetur in Eccleſia honos atq3 ex ſua cõſtãtia exiſtimatio reſtituatur ipſis, Eccleſiæ verò ipſi & ſua cõſtet lætitia, & ad Dei gloriã & ſui exædificationẽ & ad ſancti tribunalis ęternum dedecus eiuſmodi exẽpla vindicẽtur.

IOANNES PONTIVS LEGIONENSIS.



N primo fidei actu qui Hispali in Lutheranos piæ doctrinæ assertores 24. septembris anni 1559. est celebratus, eductus fuit in triumphum Ioannes Pontius Legionensis Roderici Pontij Legionēsis Bailenij comitis filius, vir claro genere natus atq; in Christi Euangelio in primis eruditus & in ipsius praxi à multis iam annis longe exercitatissimus, vt ex diuturna quæ nobis cum ipso intercessit, atq; arctissima consuetudine nobis constat: quo nostro testimonio, alioqui coram Deo veraci ac fideli, indigere vt cunq; videretur, nisi eorum omnium qui hominē nouerunt aut quoquo modo ipsius pios mores vspiam inspexerunt, hoc ipsum publicus consensus testaretur. Quùm enim virtutes ōnes Christiana, vera ac nulla ex parte fucata, professione dignæ in eo conspicerentur, singugularis quædam erga miseros atq; egenos

fra-

fratres charitas totum pijſsimi viri animũ adeò occuparat, vt ex opulento patrimonio, quo natalium tueri ac retinere ſplendorem abundè potuiſſet, in extremam omninò ſed haud ingratam deijceret paupertatem. Incurrit indè iudicia hominum vt cæca àc præpoſtera ita etiam iniqua, ejuſmodi rara exẽpla pietatis aut inertiæ aut damnandæ profuſioni plerumq; tribuentium. Atqui quando (ex fide haud dubiè,) ita vixit, vt de eo nemo vnquam conquereretur, nemo vllam indigni exempli vel minimam ſuſpitionem conciperet, complures vero in ſuis neceſsitatibus ipſius bonitatem re ipſa experirentur, fit vt prædura illa átq; omnium oculis conteſtata paupertas, quam omnium iudicio ea animi æquitate tulit, qua vel mediocres opes alij humilioris conditionis vix tuliſſent, pietatis cuiuſdam ſingularis àc minimè fucatæ argumentum eſſe debet. Is igitur pro pietatis in mundo mercede ob Euangelium captus ab Inquiſitoribus, poſteaquam veritatem aduerſus impia mendacia per menſes aliquot in carcere ſtrenue vindicarat, aut torturarum grauitate aut incolumitatis blandis promiſsionibus permotus, inex

pugnabilem antea fidem flexit & ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam turpiter desciuit. Pertractus est in eam fœdã defectionem suasu atq; opera cuiusdam pestilentis muscæ quam modo superius dicto vincti nomine cum eodem coniecerunt. Is vt pote homo literatus & insignis veterator, dolosis potius suasionibus ac promissis quam argumentorũ robore pijssimi alioqui hominis fidem labefactauit. Verùm, etsi in tam turpi casu ei Dominus fragilitatẽ humani ingenij manibus veluti contrectandam dedit, verbi sui vtiq; memor, Nemo rapiet oues meas é manu mea, ouiculam suam haud diu dereliquit, quin adeò fœdè iacentem ac prostratam erexit, & ad constantiæ robur priore maius, potenter restituit. Ea nocte quæ supplicij sui diem antecessit, veritatem professionis suæ aduersus sacrificulum confessorem compluribus ex alijs tum vinctis tum Inquisitorijs ministris audientibus (siquidem ea hora res non agitur silentio) animosè defendit. Interrogatus à Sacrificulo ecquid sacra confessione vti vellet (aspernabatur enim illã, repulso etiam atq; obiurgato sacrificulo) quùm antequã caperetur ea sæpe vsus fuisset?

ſet? Reſpondebat, id imbecillitati fratrũ quos nondum vſq; adeo progreſſos noſſet vt citra ſcandalum eam libertatem eſſent viſuri, fuiſſe datum. Interea tamen eo ſe fuiſſe vſum confeſſore cuius confeſsio collatio quædam de vera pietate potius quam confeſsio dici poſſet, ea vero conceſsione minime iam eſſe opus. In ſua ſententia lecti ſunt publicè ij articuli inter illos quorũ nomine in primis ad incendium damnabatur. Horrori ſe habuiſſe idololatriã quæ in adoratione panis committeretur: vnde ſi quando ei ad ægrotorum domos in pompa geſtato daretur obuiam, aut citato gradu per aliam viam diuertere, aut eum antecedere conſueuiſſe, ne vllo adorationis cultu eum proſſequi cogeretur. Sæpe in ſummo templo fortè ingreſſus nè ſacrificuli manibus elatum conſpiceret, tergum ei vertiſſe. Plerumq; ad baſim vbi pij ob veritatis cõfeſsionem comburi ſolent, deambulationis gratia conceſsiſſe, ac locum iteratis deambulationibus frequentaſſe, vt aſsidua cũ ſupplicij, tum in primis fidelis ac glorioſæ confeſsionis meditatione, quam exprimẽte per ſummam ſæuitiam mundo, pij Chriſto ibi exhiberent; horrorem ſupplicij veluti

veluti eò aliquando vocandus animo depo neret, atq; ad illud constanter ferendum ex humana mollicie obdurescceret. Item quùm adesset status dies quo pani Missatico ex more esset participandum, ablegasse aliò a se famulos, quibus reuersis se iam pani communicasse confinxisse nè eius libertate offenderetur. Confessionis suæ summa fuit, Iustificationem hominis vno Christi merito constare, vnaq; in ipsum fide. Purgatorium aliud esse nullum. Indulgentias ac Bullas Papæ, meras esse bullas. Papam Romanũ ipsissimum esse antichristum. &c. Eo vsq; flagrasse desyderio videlicet si quando ob hanc, quam fatebatur, veritatem aut comburi, aut quoduis aliud supplicium ferre cõtigisset. In nullũ alium vsum se desyderasse opes, nisi vt in eiusdem doctrinæ defensione ac propagatione eas expenderet, in cuius confessione vt & vxorem & liberos quoq; daretur mortem oppetere quotidie se atq; instanter Deum precari. Huius illustris confessionis laudem corrumpere conatum est Sanctum tribunal, rumoribus ex interiecta illa pietatis illius cõtinuato cursui claudicatione desumptis, atq; artificiose malignèq; in vulgus sparsis. Sed eo vni-

eo modô eodemq; breuissimo argumento abunde refellemus, videlicet quod in illis narrationum exemplaribus quæ de illo actu fidei conscribi ipsi fecerint, instituto suo minus prouidè attendentes in his verbis (quæ & extant) quibus viri huius optimi & crimina & supplicium comprehendere volue runt, rei veritatem imprudentes indicarũt. Ea sunt, Ioannes Pontius Legionensis pro hæretico Lutherano PERTINACI combustus. Inquisitoriam fraudem vnicum illud verbulum de hominis constantia dubitantibus traducit satis, nobis per anteactam vitam spectatissima ipsius pietas, cuius permulti fuerunt inspectores, abundè sufficit.

Ioan-

IOANNES GONSALVVS CONCIONATOR.



Ductus fuit in eodē triumpho quoque concionator quidam ex clericorum ordine minime clericus, integerrimę vitę homo, & in ſacris literis, ex quibus vnis verā hauſerat pietatē relicto ſophiſticæ theologię cœno, in quo haud mediocrē operā antea luſerat, in primis eruditus. Videbatur in ſuis omnibus concionibus iam ab annis aliquot eam ſibi prouinciam conſulto deſtinaſſe, veram iuſtificationis rationem, quæ exploſis in vniuerſum quibuſcunq; hominū meritis vna in Chriſtum fide conſtet, aſsidua neq; in caſſa importunitate hominum animis infigendi. Ioanni Gonſaluo illi erat nomen. Eiuſmodi ſtudium: eo quem habuit, euentu carere non poterat. Confeſsio porró ipſius vel ipſis Inquiſitoribus renuntiantibus, eadem cum ſuperiori Ioannis Pontij fuit, vt qui mutuò ſibi familiares antea fuerant, in

fidei

fidei quoq; confeſsione atq; in ipſo demũ ſupplicio iungerentur. Nocte paraſceues ſui tranſitus cum ſuis confeſſoribus acerrime quoq; diſputauit quos & remiſit poſt longos vtrinq; clamores pudore ſuffuſos. Egreſſus ex arce Triana ad theatrum vſq; in triumphum duobus germanis ſororibus ad eandem eductis fortunam comitatus, & matre cum duobus fratribus in carcere relictis, ex quibus mater & ex fratribus alter inſequenti. poſtea actu fuêre combuſti, ſingularem animi fortitudinem atq; conſtantiam præſe tulit. Arcis limine egreſſus & in totius populi, ad quem ſæpe antea de pietate concionatus fuerat, conſpectum datus, Pſalmum 106. Deus laudem meam ne tacueris alta voce recitare cœpit, hypocritarum peſsimum genus vtiq; diris illis deuouens. Eandem omnino faciem in ipſo theatro retinuit vel accepto in os ligneo morſu, quòd ex ſororibus alteram quam ingenio fortaſsis teneriore nouerat, liberius atq; apertis verbis conſolaretur, atq; ad conſtantiam hortaretur. Sententia, qua ad rogum damnabatur, attente audita haud demiſsiore animo vultúue ſolenniſsimam

illam

illam degradationem tulit, accepitq; vestes atq; insignia confessionis suæ, probrosa illa quidem in oculis hominum, at decore ac gloria plena in oculis spectātis Dei & angelorum, videlicet impijs illis ac ipso incēdio dignis missaticis vestibus exutus, Paludamentum, restim, & papyraceā thiaram. Appetente vespere, qui comburendi erant, in locum supplicij adductis, vt fidei symbolum recitent ab eis petunt, quod pro se quisq; recitare non dubitauit: sed cum ad illud ventum est, Credo sanctam Ecclesiam, vt Romanam adderent, iubent. Hîc omnes vno animo substiterunt. Clericis verò & monachis, qui antichristi eo loco obibant munus, importunè exigentibus à sororibus Ioannis Gonsalui & ab alijs pijs fœminis in quas iam erat incendio animaduertendum, vt particulam Romanam adderent, illæ responderunt facturas se quod Ioannes Gōsaluus faceret. Non quòd quid sibi dicendum esset, quidue Ioannes Gonsaluus esset facturus illę ignorarēt, sed vt ea occasione illi lingua acerrimo lupato solueretur, quo de illo articulo atq; eo in primis tempore appertam fidei suæ confessionem edere liceret. Solutis igitur morsu ligneo

gneo pius magiſter, vt forti animo eſſent, nihilq; addēdum ſupereſſe reſpondit. Hac poſtrema confeſsione edita, omnibus ante accenſam pyram feſtinatò gulam fregerūt, & è veſtigio cœperunt clamare, particulam illos Romanam, prout ipſi poſtulatant, addidiſſe, qua in Romanæ Eccleſiæ confeſsione deceſsiſſent

O Qua-



QVATVOR FOEMINAE HISPALENSES




Minebant singulari vitę sanctimonia inter antiquiores pietatis professores pijssimæ illius Ecclesiæ Hispalensis, quã penè totam inquisitorius iam ignis absumpsit, quatuor fœminæ, Issabella Vaenia, Maria Viroesia, Cornelia, & his tribus ætate iunior Bohorquia, (vix enim attigerat vigesimum primum annum) Sed licet pietate pari, sacrarum tamen literarum eruditione, in virguncula planè prodigiosa, quam assidua lectione & meditatione & collatione cũ pijs ac doctis viris quibus illis diebus abundabat Vrbs Hispalensis, in primis vero exercitio ipso pietatis sibi comparauerat, non solum sodalibus superior, verum etiam compluribus ex doctissimis magistris nostris iudicari poterat, quos, dúm in carcere esset, pudore sæpè magno suffudisse illi ipsi sunt testati. Prioris, hoc est Vaeniæ, ædes perpetuæ pietatis

tis ſcholæ fuerunt locuſq; ſacer vbi ſacri cõ uentus habebantur, ac perpetuæ Dei & Chriſti eius laudes diu noctuq; reſonabãt. Nihil ibi videretur prophani, nihil etiam ad ſanctimoniæ oſtentationem, ſolidæ pietatis plena omnia. Pertingit eò demum inquiſitorium rete illaſq; quatuor cum quibuſdam alijs ex vicinia iactu vno cepit, Deo vtiq; aq illuſtrem nominis ſui confeſſionem maturas arbitrante. Promouerat ad tantam ſacrarum literarum eruditionẽ virginem Bohorquiam latinæ linguæ mediocris peritia, qua in illa ſæua conſcientiarum tyrannide quæ ſacris literis vulgari lingua populo interdicit, latinis porrò vel ad ſacietatem vſq; frui poterat. Doctor AEgidius quo præceptore illa ob ſingularẽ viri tum eruditionem tùm ſanctitatem frequentius vtebatur, dicere de ea erat ſolitus, ſemper ſe doctiorem ab illius colloquio diſceſsiſſe. Habuerũt cum ea monachi Dominicani dum in carcere eſſet mirabiles diſputationes, quibus prodigioſum planè erat in diſſoluendis ac medijs diſſecandis ancipiti gladio verbi Dei eorum ſophiſticis nodis puellæ acumen & ſacrarum literarum recens memoria vſuſq; promptiſ-

ſimus. Hi quoties è diſputatione egrediebantur, illius tùm conſtantiæ tum ſapientiæ, licet pertinaciæ nomine, luculentum teſtimonium dabant. Poſt diuturnã in Cyclopeo illo carcere captiuitatem & torturas omnis generis in quibus & ſororem veluti eius doctrinæ conſciam per ſummam ſæuitiam ab ea tortores expreſſerunt, quod ſorori captiuitatem primùm, deindè acerbam in ipſis torturis mortem confecit, educta eſt demum in triumphũ cum alijs pijs viris & fœminis a nobis ſupra commemoratis, ſed quæ de Sancto officio triumphantis ſpeciem potius hilaritate vultus præſe ferret. Eam inuſitatam virgunculæ triumphantis lætitiam aperta veritatis confeſſione & diuinarum laudum cantu declaratam inquiſitoria malignitas atq; inuidia intercipere conata eſt, iniecto in illius os lupato in ipſa via, quod paulo poſt antequam ad theatrum veniretur, ei abſtulerunt. Perlecta in theatro eius ſentẽtia & mortis ſupplicio illi publicè denuntiato, eam interrogarunt Inquiſitores an reſipiſcere demum vellet, ac fateri errores quos ãtea adeò pertinaciter defẽdiſſet, ad quæ illa altè & perſpicue reſpondit ſe id fateri neq; velle neq; poſſe,

posse. Delata inde cum beato illo sodalitico in basim supplicij, exigentibus hypocritis haud minus impie quam impudenter a toto illo martyrum choro, Romanæ Ecclesiæ confessionem in Symbolo Apostolico vt supra dictum est, præ cęteris animosè restitit. Eam tamen constantiæ gloriā adactis festinanter capistris ad pia martyrum colla tanquam qui in ipso vitæ limine vide licet Romanæ Ecclesiæ detulissent, ac proinde ex Inquisitoria misericordia mortui, non uiui cremarentur, impudentissimi nebulones suis nebulis obscurare decreuerūt. Quin & in illos sanctos parietes, qui pios cœtus ad Dei laudes conuenientes toties contegerunt, sæuitū est. Iussa est enim Vaeniæ domus ab imis fundamentis excidi ac solo æquari, & in perpetuam aream conuersam erecto in ipsius medio marmoreo titulo impijs ac cæcis idololatris patratorum ibi scelerum, pijs verò verorum Dei cœtuū, quibus Christus ipse ibi vtiq; inter suos interfuerit, æternum monumentum esse.

FERDINANDVS A SANCTO IOANNE.



Rat & hic ex illustribus illius Ecclesiæ membris, si verum Dei metum, cygneum pectoris candoré, ardens ac indefessum studium de proximis benemerendi citra omnem proprij cõmodi respectum, non natalium splendorem, aut accuratioré corporis aut sermonis cultum quis requirat. Iuuenis sed pietate vitæ conspicuus, instituendis pueris in collegio puerorum, (domum doctrinæ vulgo vocant) piorum virorum iudicio, qui Sanctum illud institutum primum condiderãt, fuerat præfectus. In eo munere, Octennio ferè multa cum laude omnium exacto, deprehensus est demum Lutheranus, id est ad veræ pietatis normam exactè institutus, ad quam & commissum sibi puerorum gregé, quoad fieri poterat in tanta tyrannide, ex officio diligenter institueret. Mercedem tulit si humanam rationem spectes, qualis pro benefactis ab ingrato populo referrj solet: si fidem, qualé prædixit suis Christus. Expertus est in torturis adeò immanem sæuitiam, vt membrjs omnibus quasi

satis

ſatis ac officium facere non valentibus ex trochlea aut Burro deponeretur, atq; inde qua ipſius carcer à torturę loco diſtat, à miniſtris iniquitatis veluti ſaccus quidã ſtercore plenus aut putridum quodpiam beſtię cadauer per pedes traheretur. Laceſſebant ad eam ſæuitiam dominos patres fidei rotunda ſemiruſtici hominis reſponſa, à quibus vel trãſuerſum vnguem deflectere erat impoſsibile. Etiam in illo arctiſsimo carcere vſus eſt Deus ipſius miniſterio ad erigendum Morzillium quendam iuuenem monachum ex cœnobio Diui Iſydori ob liberiorem Euangelij confeſsionem eò pertractum: qui dimotus pollicitationibus ac blandis promiſsis Inquiſitorum, à pia confeſsione paulò antè deſciuerat. Dei conſilio, qui Morzillium ſané in Chriſto amabat, factum eſt, vt hunc Ferdinandum eo tempore Inquiſitores, carceris illi comitem darent, qui intellecta iuuenis vecordia eum acerbè obiurgat, accuſat defectionis coram Chriſti tribunali, facit reſipiſcere, erigit, conſolatur, confirmat. Paucis poſtea diebus Morzillius audientiam petit, in qua coram Dominis ſolenniter eiurat retractationem paulò ante à ſe factam, atq;

eam sibi fidei confessionem constare postu-
lat, quam ediderat primum, quamq; pro
Christiana haberet. Combustus hic fuit in
hoc eodem actu mortuus, an sub Inquisi-
toria rursus an sub Dei misericordia, nes-
citur. Igitur Ferdinandus perlecta in thea-
tro sua sententia, interrogatus ab Inquisi-
toribus, an in illis erroribus adhuc perma-
nere statuisset, audiente vniuerso theatro
respondet rotundè suo more, quæ à sè fal-
sa essent, ipsissimum esse Euãgelium Chri-
sti ac Christianorum fidem, tantum abest vt
pro erroribus habere constitueret. Ablata
mox illi cruce lignea, quã ei inter ipsa vin-
cula manibus inseruerant, ac lupato in
os iniecto quod & retinuit quóusq;
ignis illud dissoluit: combu-
stus est viuus.

Iulia-

IVLIANVS FERDINADVS.



N tantulo corpore atq; eo ipso adeò ſtrigoſo vt ex oſsibus & pelle tum videretur conſtare, tãtos includi ſpiritus meritó miraremur, niſi & ſacro vaticinio & experientia ipſa compertum eſſet, quæ & ſpecie & re ipſa in mundo infirma sunt, Deum deligere vt plurimum conſueuiſſe. vt fortiſsima queq; eiuſdẽ mundi pudefaciat. Is Iulianus, quẽ à corporis paruitate paruum appellabant, quum in Germania ac extra omne ab Inquiſitione eſſet periculum, vbi in complurium doctorum virorum contubernio veram pietatem didicerat, ductionem ſpiritus ſequutus potius quam cuiuſquam conſilium, rem eſt agreſſus vt momẽti haud mediocris, ita etiã præſenti plenam periculo. Duo ingentia dolia ſacrorum librorum Hiſpanica lingua in Hiſpaniam tranſuexit, propagandæ in patria euãgelicę lucis cupidine accẽſus, à qua re haud minus fuiſſet verendum, quã ſi ſcorpionum ac venenatorum omnis generis tota plauſtra inuexiſſet, obſerantibus ac ob-

ne vel ipsos venatores, impleuit carceres, atq3 istis exundantibus priuatas quoq3 occupauit domos, accendit ingentes pyras quæ piorum sanguine propemodum extinguerentur. Visebantur eo tempore in vna Hispali octingenti simul ob pietatem captiui, aut prope aut vltrà viginti eodem rogo cōbusti. Captus fuit inter primos ipse Iulianus, quo in carcere & ferro onusto & perpetuo solo vltra trienniū detento, noua interea ex eadem captura subinde spectacula edebantur. Tortores ipsos cum suis torturis omnibus prodigiosa sua constantia fatigauit neq3 in tantulo corpusculo ad tot ferendas quassationes vires vnquam de fuerunt. Néq3 minore tū constantia tū alacritate exibat è quæstione quàm intrabat, adeò vt nullo ex quassationibusdolore, nullis minis ministrorum, nulla deniq3 sæuitia cohiberi posset, quin è quæstione rediens, aut tractus potius per medios sociorū carceres, eosdem & de victoria sua & de hostium pudore eiusmodi cantione admoneret, Vencidos van los frayles, vencidos van. Corridos van los lobos, corridos van. Latinè sic, victi reuertuntur monachi, victi reuertūtur. Fugati reuertūtur lupi, fugati reuertūt. Habuit in audiētijs primū cū mona

chis & cum cęteris impietatis aſſertoribus qui indoctis vtiq; & rei theoligicæ omnino imperitis Inquiſitoribꝰ ab hæreſum qualificatione ſunt, acerrimas mirabileſq; diſputationes, à quibus quùm reuerteretur, cātione illa in primis inſultabundus hoſtibus ſeſe oblectabat. Triūphi die eductus è ſuo ergaſtulo quum primum in arcis aream acceptarus inſignia reatus inter concaptiuos venit, eos his verbis mira & animi & vultus cōſtantia adhortatus eſſe fertur, Mactè ergo virtute fratres, hæc eſt ea hora in qua vt ſtrenuos milites Chriſti decet, ei, veritatiq; ipſius coram hominibus fidele teſtimoniū reddere debemus, poſt paucas deinde horas ipſius viciſsim probati teſtimonio cum eodem in cœlis perpetuo triumphaturi. Interceperunt illicò pijſsimam atq; tempeſtiuam concionem impij miniſtri acerrimo illi capiſtro in os iniecto, quod ad ipſum vſq; ſupplicium tulit. Conſcenſurus baſim in qua damnati ab Inquiſitoribus cōburi ſolent, conſtantiam atq; fortitudinem animi in ferendo ob pietatis confeſsionem quam verbis explicare non poterat, geſtu expreſsit. Ad genua enim procumbens gradus baſis deoſculatus eſt: colligatus deinde

ad palum & aggeſtis faſciculis capite tenus coopertus, caput inter eoſdem faſciculos iteratis vicibus abdebat veluti ſupplicium ipſum vltrò prouocans , atq; laceſſens. Conſulebat his geſtis prouidus Chriſti miles & integritati confeſsionis ſuæ, & ſociorum tum confeſsionis tum ſupplicij imbecillitati, ſi qua eſſet, quos ſignis illis ad conſtantiam & ſupplicij cōtemptum hortabatur. Aderat morituro inſignis quidā pſeudapoſtolus Doctor Fernandus Rodriguius qui inconcuſſam pij hominis fidē ſua importuna oppugnatione redderet clariorem. Is quùm contemplatione inſtātis ſupplicij conterritum athletam Chriſti exiſtimaret, obtinuit à Præfecto vt lingua ei lupato ſolueretur, vt conuerſionis ſuæ ſcilicet ſignificationem aliquam edere ſermone poſſet. At ſubſidium illud in diuerſum illi ceſsit. Iulianus enim adeptus loquendi libertatem, & fidei ſuæ perſpicuam ſi quādo aliàs confeſsionem edidit, & impium monitorem quem ſciret contra conſcientiam ſuadere impia dogmata adeò duris verbis obiurgauit, vt blatero reſponſione deſtitutus pudorē ingente huiuſmodi ſublata exclamatione vlciſci conſtituerit. O Hiſ-

Hiſpaniam gentium domitricem, ac dominam, nunc verò homunculi vnius opera perturbatam. Occidatur, occidatur. Aderant præſto ſatellites qui adhortationem impoſtoris exequuti, Iuliano lætale vulnus inter ipſos ignes inflixère. Et de hoc dum eſſet in carcere rumores extitere eum pietati renunciaſſe, quos tamen euentus abundè refellit.

Ioan-



IOANNES LEGIONENSIS EX COENOBIO D. ISIDORI HISpalen. monachus.

EXercuerat hic primum in Mexico Hiſpaniæ nouæ vrbe celeberrima Noui orbis ſartoriam artem: vndè Hiſpalim reuerſus, cùm cæcus quidam Dei metus eum(vt pleriſq; alioqui probis accidere ſolet) ad monachatũ adegiſſet, Deo ita hominis præcipitium temperante, in D. Iſidori Hiſpalen. cœnobium fortè incidit, in quo bona tum monachorum pars ad ſolidiorem pietatem aſpirabat. Poſt annos aliquot in ea diſsiplina exactos, cum ex illorum conuictu nonnihil veræ inſtitutionis delibaſſet, damnatæ anguſtiæ pertæſus conquiſito probabiliore prætextu ex valetudinis ſcilicet perpetuo incomodo, monachatu abrenuntiauit. At egreſſus, qúm illorum pia colloquia, ex quibus initia illa pietatis hauſerat, vehementer deſideraſſet, clauſtra, eis fruiturus repetiuit, ſed fruſtra. Eo enim abſente, illi ad vnum omnes, quorum deſiderium ad damnatum antea vitæ genus repetendum eũ impulerat, deſer-

desertis illis periculosis sedibus in Germaniam paulo antè commigrarant. Igitur nō ventrem, sed pietatem, licet in tam periculosa recidiua quærenti post paucos dies, tātisper dum quo illi abijssent certius nosset, institutum rursus fuit deserendum. Vocabunt fortassis eum ob bis desertum monachatum male feriati homines bis apostatā: at qui melius sapient, vtiq; bis pium. Igitur piorum commilitonum vestigia insequutus Francofortum ad eos peruenit, haud absq; magnis laboribus & periculis in itinere exantlatis. Francoforto cum eisdem commigrauit Geneuam vt alijs, qui ex eodem sodalitio ibi sedes fixerant, adiūgeretur. Contigit per eosdem dies vt subla ta è medio Maria Angliæ Regina, Ecclesia Anglicana quæ sæuitia ipsius per Germaniam fuerat dissipata atq; dispersa, Elizabetha in eius locū suffecta, ad proprias sedes beneficio Dei planè singulari reuocaretur. Hispanis ob pietatē Geneuæ exulantibus colligendæ ex suis Ecclesiæ Anglia visa est commodior, quo consilio factum est vt nonnulli ex ipsis cum Anglis in patriam reuertentibus proficiscerentur, sed, vt insidias vitarent, diuersis cōmitatibus. Inquisito-

ſitores enim adeò ægrè tulerunt piorũ illorum monachorum fugam & à vetere impietate defectionem, vt, etſi neq; multi eſſẽt numero, neq; alioqui humana æſtimatione magni, muſcis ſuis omnino decreuerint infeſtandos, quæ eis vbiq; locorum perpetuò inſidiarẽtur. Erant illis Coloniæ Agrippinæ, Francoforti, Antuerpiæ in primis conſtitutæ inſidiæ, quæ itinera omnia Geneuam vſq; magna diligentia percurrebãt. Neq; iter Geneua Mediolanum vſq;, ex altero ſcilicet latere minus erat obſeruatum. Suppeditabantur inſidijs ſumptus ab ipſis Inquiſitoribus ex Fiſco regio abundanter ſatis pro regali munificentia & Inquiſitorio Zelo: ac tantis tum conatibus tùm expenſis (præter ingẽtes pollicitationes quibus ſingulorum capita, ſi darentur, licitabantur) quærebantur decem pulices aut totidem canes mortui. Adeo ſtupenda res eſt odium Inquiſitorum quo in diuinam Chriſti lucem ad furorem vſq; ſæuiunt. Igitur noſter Ioannes Legionenſis aſcito ſibi ſocio Ioanne Ferdinando quodam, viro in primis pio Valleoletano per Germaniam in Angliam iter inſtituens, incidit Argentorati in inſidias, quarum indicio captus eſt cum

ſocio in portu quodam Zellandiæ in ipſo in Angliam traiectu. Excepit primum apparitores tanta animi & vultus conſtantia vt eis dicētibus ſe eum quærere nihil aliud reſponderit, quam Eamus igitur, aderit enim haud dubiè nobis Deus. Traducti in oppidum torti primum ſunt vehemētiſſimè vt ſocios indicarent: poſt paucos deinde dies naui impoſiti & in Hiſpaniā vecti. Habuit vterq; dum in mari atq; in Hiſpania in ipſo itinere fuerunt, ferreū quoddam capiſtrum in modum caſsidis quo & caput & vultus tegebatur: inſerta eſt illi interne lamina quædam ferrea in modum linguæ quę accepta in ore vſum omnem linguæ prohibet, atq; hoc torturæ genere perpetuò cruciati præter ferrea vincula quibus & manus & pedes conſtringebātur in inquiſitorios carceres delati ſunt, Ioannes legionenſis Hiſpalim, ſocius Valleoletum, vbi poſtea in veræ pietatis confeſsione conſtantiſsimè perſiſtens viuus eſt combuſtus. Fuerat hic Doctoris Cacaliæ, qui Valleoleti ob Religionem ignis ſuppliciū tulerat paulo ante, contubernalis, cuius & neptem ex ſorore aut ex fratre deſponſauerat. Exegit in Inquiſitorio Carcere Io-

an-

annes Legionensis complures dies vbi sæuitiam inquisitoriam tum in omni torturarum genere, tum in communi victu expertus est. Eductus est in triumphum paludatus eisq; omnibus ornatus insignibus quibus educi solent constantissimi. Horrori erat aspicientibus ex diuturna illa maceratione vultus hirsutissimus & ad ipsa vsq3 ossa cerulea pelle contecta macer. augebat horrorē, acerrimum lupatum linguā adeo acriter mordens, vt vbera ac prælonga piiuitæ fila ad terram vsq3 stanti pendentia eliceret. Cum audita iam mortis sententia ad supplicium ipsum duceretur, libertatem linguæ ad Christo abrenuntiandum adeptus, tanta eum animi & vultus tranquillitate fassus est verbis quam paucissimis sed eisdem grauissimis, quanta vel extra omne periculum fassus esset. In postremis illis vitæ horis datus illi fuit antagonista monachus quidā ex cœnobio suo, cum quo malè auspicatum illud monachatus primo anno tyrocinium fecerat, qui initia illa veteris superstitionis in memoriam reduceret: at quo plures illi artes ad fidem ipsius labefactandam adhibebant, eò illa reddeba-

 tur

tur ſpectatior: nimirum protegente ob id præſentius Chriſto athletam ſuum. Oppe-petiuit atrocem mortem eadem planè tran quillitate ac ſecuritate animi, neq3 enim viro in primis pio alius vitæ exitus debe-batur.

FRAN



FRANCISCA CHAVESIA.




Dornauit eundẽ triumphum ſpectatæ fidei virgo Franciſca chaueſia clauſtri D. Elizabethæ monacha, quo magis miremur abſolutã in Chriſto inſtitutionem ad illa quoq; & ferreis vectibus & in primis peruicaci ſuperſtitione obturatiſsima clauſtra fœminarum penetraſſe: adeo Dei gratuitam in Chriſto electionem quin ſuo tempore exequatur, remoratur nihil. Nacta fuerat clariſsimum in Chriſti Euangelio inſtitutorem Doctorem Egidiùm, de quo mox dicemus. Vel ſub illo modio occultata, Diuina lux abſcondi in perpetuum non potuit, quin præſtituto ſibi tempore educta aſpectu ſuo lętificaret Eccleſiã Dei, eademq; percelleret, redargueretq; acriter impiorum tenebras. Delata demum ad Inquiſitores & communi more tractata, in triùmphum eſt educta àc demum combuſta. Pudore ſuffuderat Dominos Patres fidej maſculjs ſuis reſponſis virgo alioqui ho-

minum colloquijs per totam vitam nõ admodum aſſueta, quoties in audientiam fuerat vocata: aſſertionibus enim veræ pietatis addebat quoq; acerrimas atq; adeò tempeſtiuas obiurgationes ex verbo Dei, prodigioſa patribus fidei dexteritate petitas, canes mutos, viperarum proles ſubinde eos vocans. Spectabilis in primis fuit omnibus eam contuentibus mortis ac ſupplicij contemptus, vultus alacritas quam ad ipſum vſq; ſupplicium præ ſe tulit.



CHRISTOPHORVS LOSADA MEDICVS



T hic quoqꝫ ex Doctoris Egidij priuata institutione prima rudiméta pietatis hausit. Inter cęteras enim Sancti illius viri diuinas dotes illud erat sanè mirabile, quòd omnibus quos in pietate instituendos susciperet, igneā quādam pietatis facem ad eorum animos cum ipsa institutione admouisse diceres, qua ad ōnia pietatis ipsius exercitia cū interna tū externa, in primis verò ad īminentis crucis tollerantiam atqꝫ adeò amorem accendebantur: quo vno, diuina luce collustratis testabatur adesse Christum ipsius Ministerio, qui, verba eo externè ministrante, eadem in ipsis visceribus suorum virtute Spiritus sui exararet. Ad eam tanti præceptoris fœlicitatem venerat opera soceri sui viri adeò pij vt Losodā ipsius filiam in vxorem ambientem, licet honestissimis moribus, eruditione non vulgari, peritia rei

medicæ vltra mediocritatẽ excultum iuuenem haud prius ad affinitatem admiſerit quàm in pietate erudiẽdum Doctori Egidio ſe dedidiſſet. Homini erudito & abundè Chriſtianum ſe eſſe exiſtimanti haud erat ſatis honeſta conditio, difficilis verò, Doctore Egidio, ad cuius pedes erudiendus in religione mittebatur, religionis non ſatis integræ apud vulgus ſuſpecto. Admiſit demum conditionem àn melioris inſtitutionis, an vero coniugij cupidine, incertum. Vt vt fuerit, adeò ſeriò prima illa in Chriſto rudimenta imbibit, vt vel poſt obitum inſtitutoris impremature ſublati ſibi, inſignes in pietate progreſſus fecerit. Itaq; ob ſingularem pietatem àtq; in ſacris literis eruditionem qui Eccleſiam illam, numeroſam quidem, ſed in caruernis deliteſcentem, gubernaret dignus habitus, paſtoris munus quoad licebat in tanta anguſtia, ſuſcepit, obijtq;. Captus ab Inquiſitoribus occaſione illa librorum Parui Iuliani (quî enim in illa gregis totius diſsipatione abſcondi poſſet fidus Chriſti ſeruus?) atq; pietatem ingenuè faſſus, carceris prius acerbitatem, ac torturas: triũphi deinde ignominiam, ac demum ignis ſupplicium tulit.

Diſ-

Disputauit egregiè de vera religione in ipsa basi supplicij aduersꝰ ĩportunos hypocritas, qui vana spe eum à pia sententia dimouendi, respondendi ad eorum strophas ei copiam fecêre. Illis verò, nè, quæ vtrinque dicebantur, circunstans vulgus intelligeret, dictionem ex vulgari sermone in latinum callido consilio commutantibus, ipse arte fortassis minus obseruata, Latine quoque cœpit agere, tanta sermonis tum vbertate tum puritate vt miraculum pene omnibus videretur, hominem iam iam moriturum tàm esse sui compotem vt ne tum quidem â sermonis elegantia quicquam remitteret.

P v Chri-



CHRISTOPHORVS ARELLANIVS




Hriſtophorus Arellanius monachus cœnobij D. Iſidori Hiſpa. omniũ qui ante ipſum intrauerant Inquiſitoriam arcem ipſorum Inquiſitorum teſtimonio longè doctiſsimus, traductus à ſuis quibus & vtilitati & ornamento fuerat ob eruditionem, quale habuerant antea nunquam, in inquiſitoriam naſſam eſt pertractus. Eo in primis nomine illã ſummæ eruditionis opinionem apud Inquiſitores ſibi cõciliauerat, quòd homo in ſcholaſticis (quos dicunt) theologiæ doctoribus Aquinate, Scoto, Lombardo, & cæteris eius claſsis verſatiſsimus, quæ illi in quauis religionis controuerſia pro veritate imprudentes vſpiam dixerunt, eximia ingenij dexteritate ac memoriæ præſentia poſt ſacras tamen literas ac doctorum incorruptioris iudicij ſententias ad inſtitutum accomodaret: quo in primis fiebat, vt aduerſarij,

ſarij, quotquot erant, quibus vel apertæ illorum authorum nugæ ipſis ſacris literis ſint longè antiquiores, ſuis eiſdem propugnatoribus expugnarentur. Damnatus eſt nihilominus ad rogum ſuperantibus & eruditionem & veritatem ipſam apud immanes tyrannos faſciculis. Quùm ad audiēdā ſententiam in ſolenni theatro ſiſteretur audiuit in ea impudentiſsimè confictū ſcelus ſibi obijci. Illud erat, aſſeruiſſe ipſum, illibatam virginem Matrem Chriſti nō magis extiſſe virginem quàm ipſe eſſet, digna ſcilicet verba quę, etſi à quoquā haud min⁹ impiè quam impure eſſent prolata, in orbis theatro per ſanctos fidei patres vulgarētur. Atqui hoc artificio creare ſolet Sanctum tribunal maximam inuidiā ijs quos ob ſingularem & omnibus perſpicuam virtutem apud vulgus ipſum gratioſiores norunt. Audita impura illa blaſphemia Arellanius, qui non ſine Dei Prouidentia liberam tum habebat linguam, exclamat audiente vniuerſo populo, mendacium illud eſſe impudentiſsimè confictum: ſe enim & contrarium credere firmiſsimè, & credidiſſe ſemper, vt qui illud ex cōpluribus ſcripturæ locis didiciſſet, quibus & tùm paratus

effet ilud oſtendere ſi eſſet opus. Ad ipſum ſupplicij limen ſtetit ex compoſito coram illo ridens veluti calamitoſo inſultabundus, vnus ex illis ſuis monachis quem inimicum ſibi ac in primis aduerſarium ſenſerat. Neq; enim in eam calamitatē conieciſſe hominem pium, ſingulari eruditione ornatum, adde etiam innocentem ſatis fuerat, niſi etiam in ipſo ſupplicij ingreſſu inſultarent. Cōmotus eſt nonnihil repentino ac improuiſo illo ſpectaculo Arellanius, ſed mox ad Chriſtianis hominis officium eam animi tranquillitatem recuperauit quæ & decora ſibi & ſpectātibus exēplum eſſe poſſet. Conſolatus eſt etiam in ipſa ſupplicij baſi alium quendam monachum eiuſdem ſodalitij Ioannem Chriſoſtomum, qui diſcipulus ipſius antea fuerat, tùm autem ſupplicij comes. Huius quia ſupplicij cauſas omninò ignoramus, in hoc ordine illum reponere auſi hactenus non ſumus. Fuit alioqui concionator inculpatæ vitæ àc ſanctis omninò moribus præditus neq; aſpernandæ eruditionis, ac proinde ſuis porcis vni tantum ventri deditis non admodum gratioſus.

Gar-

GARSIAS ARIAS. MAGISTER BLANCVS VVLGO DICTVS.



Lucebat mirabiliter in huius viri exẽplo erga electos suos diuina prouidẽtia, quæ vel ex inueteratisſimæ ac singulari studio affectatæ hypocrisis abysſo quadam, atq; adeò ex ipsa spontanea oppugnatione agnitæ veritatis Euangelicæ, (quod delictum in Spiritum Sanctum vocant Sacræ literæ, denũtiantq; pro eiusmodi peccatoribus frustraneas omninò fore Ecclesiæ preces) eos nõnunquã præter communes leges potenter extrahat, eòq; in sublimiore honoris gradu collocet, quò in desperatione prius statu esse videbantur. Fuit hic Arias (quem à cutis & pilorum omnium candore Blancum appellabant) acutisſimo ingenio, quoad licebat in ea ætate, sacrarum literarũ cognitione abundè exculto, vafro tamen, callido, maligno, versipelli. Contegebat verò ea exitialia animi vitia specie quadã sanctimoniæ adeò

studi-

ſtudioſe cōpoſitæ, vt vel prudētiſsimorum quorūq; oculos, niſi prope valdè acceſsiſſent, ſępiúſq; cōtemplarētur, poſſet fallere, imò fefellit cōplures. Erāt Hiſpali illius tē pore factiones duæ cōcionatorū, quos audi torū ſtudioſa partiū ingens turba ſequebatúr. Alia, ſi verba ipſa ſpectares, ad Epicteti Stoici placita, quā ad Scripturę ſacrę normam, accedebat propius, eò Epicteto inferior, quòd iſte factis ſermoni conſentaneis seriò videretur agere, illa ōninò ſecus. De crebris enim ieiunijs, de mortificatione & abnegatione ſui, de perpetuò precando, de præſe ferēda ſubmiſsione ac deiectione animi, quā humilitatē ipſi vocāt, in ipſo veſtitu, ſermone, vultu àc in vniuerſa demū vitæ ratione multus ac penè infinitus ſermo: at ſub iſta adeò plauſibili ac ſpecioſa pietatis larua, ſi propius inſpexiſſes, vidiſſes, ne quid durius dicā, planè homines. Sūma. Sāctimoniæ totius prorā & pupim, quod aiūt, in operib9 aduerſus cōtrarię factionis inſtitutū collocantes actuoſi in primis videri cupiebāt, Eo ſtudio, vt pote ex ignoratione veræ iuſtitiæ nato, ad Miſſas cōplures, ad ſacrorū locorū frequētationes, ad Cōfeſsionis & cōmunionis, quas vocāt, vſum frequētiſsimū & ad multa alia nugamēta, quę araneorum

telas quę in operimentū nūquā futuræ sint, merito vocāt sacrę literę, a veræ iustitię exercitijs, iudicio scilicet & misericordia, atque adeò ab ipsa fide, vnica acquirēdæ iustitiæ ratione, expiationis ergô diuertebant. Vrgebāt paupertatē ac cœlibatū vel coniugibus, in primis verò obedientiæ votū, monachorū credo æmulatione, qua auditores sibi adstringebāt. Hanc aiebant esse ipsam proprię voluntatis abnegationem, eisdēq; prorsus ornabāt titulis quib9 obediētiā sui ornat Deus. Vt verò in perpetuis tenebris liberius liceret in impostura progredi, à bonorū authorū lectione, maximè autē Erasmi, à quo nihil scilicet præterquā superbè sapere edocēdi essent, veluti à peste deterrebāt suos, ablegātes eos ad Henricū Herpiū, Bonauēturę opuscula, Abecedariū, Mōtis Sionis ascēsum & id genus alios, ex quib9 humilitatē, in primis verò coryphęis obedire didicissent. Prodierūt demū ex ista disciplina Māsij, Cauallij, Guerræ, Petri Cordubenses, & alij quorū nomina exciderunt, quos fortasſis fuisset satius nnnquam in orbē natos, prolēue dedisse. Fuêre in ea complures probi alioqui & animo pio viri, fateor, sed qui intellecta postea impostura magistrorū, eis desertis, ad saniorē redierint mētem

aut qui ex crebris atq; intemperatis ieiunijs & ex acri ſupra humanas vires cœleſtium rerũ videlicet meditatione verſi ſint in furorem: aut qui, ſi in inſtituto perſeuerauerint, in majus malum atq; immedicabilius inciderint, nempè ex probis improbi, ex communi hominum ſorte pharisæi, oſores iuſtitiæ, eiuſdem crucifixores, filij Gehennę duplo quã ipſorum magiſtri fuerint euadẽtes. Altera factio cõcionatorum erat quorundam, qui vt ſyncerius tractabant ſacras literas, ita etiam verum iuſtitiæ ac ſanctitatis fontem ex eiſdem aperiebant hominibus, quorum & induſtria factum eſt, vt ea vrbs hoc in primis nomine, omnium totius Hiſpaniæ fœliciſsima, totos duodecim annos, quod ad veræ iuſtitiæ argumentum attinet, purum Chriſti Euangeliũ audiuerit, néq; ſinè fructu. Illa enim meſsis, quæ per totos iam octo aut decem annos colligitur, ex illa laborioſa nouatiotione prouenire certum eſt. Hæc ſanctitas vtiq; pro ingenio lucis, fucatam ac phaleratam illam digito veluti commonſtrans àc palam traducens haud illius primum ſubire odium, deindè inſectationẽ ſui omnium concitare non potuit. Erant iſtius primarij

marij aſſertores, Doctores, Conſtantinus, AEgidius, Varquius, viri doctrina ac morum probitate conſpicui, quorum labores in promouenda Euangelij luce inter tantas ignorantiæ tenebras, atq; vitæ exitus in ipſo opere illuſtris, vt æterna ſunt digni memoria, ita etiam neq; æterna obliuione ſepeliri patiemur. Illius verò inter primos propugnatores noſter hîc Arias cenſebatur, vt potè quæ hac receptior, & ſpecioſior, ſuis autẽ profeſſoribus vtilior & quæſtuoſior apud omnes fermè foret, omnibus ſuis commilitonibus eo nequior quò illis fortaſſe ignorantibus, veritatẽ ipſe quam oppugnabat, exactè noſſet. Neq; tamen eam mendatio præſtabat operã adeò apertè atq; alij eiuſdẽ factionis, nè apud complures alicuius æſtimationis viros, quibus vera pietas cordi erat, eam amitteret gratiam, quam larua illa pietatis acquiſiuerat: ſed adeò callidè ac veluti ex inſidijs, vt licet ijs, qui ipſius ſentiebant iacula, vt cunque eſſet notus, ab alijs tamen pro amico ac fratre haberetur. Ingenij calliditatem ac vafritiem tùm maximè exeruit, quum Gregorius quidam Ruizius vir (vt ferebatur) in primis doctus, ob nonnulla quæ

inter interpretandum publicè in Summo templo Hiſpalenſi ſacras literas aſſeruerat pietati conſona, de Iuſtificatione hominis, de merito Chriſti, & de meritis hominum antè & poſt iuſtificationem, ab hypocritis eiuſmodi doctrinam inſectantibus accuſatus, ad Inquiſitoriū tribunal vocaretur. Quū enim Inquiſitores illi diem dixiſſent, biduo antequam ad dicendum cauſam illi comparerет, Magiſtrum Ariam, cum quo nonnihil familiaritatis ob communia ſtudia, prçcipuè vero ob ſingularis pietatis falſum nomen, antea contraxerat, forté conuenit conſilio ſuo vſurus. Arias inter alios iuſſus erat ab Inquiſitoribus, vt ad illum diē adeſſet inſtructus, aduerſus Ruizium diſputaturus. Igitur ingenij ſui memor, ab incauto & ſimplici homine & eiuſmodi inſidias à tali viro non magis verenti, quàm ab eo à quo captaret ſalubre conſilium, aſtute expiſcatur rationes atq; argumenta omnia, quibus ſua foret in illa diſputatione defenſurus: eiſq; acceptis comiter demittit hominem abſq; vlla inſidiarum ſuſpitione. Quùm verò ad diſputationem ventum eſt, apparuit tandem noſter Arias inter eos qui pia dogmata erāt oppugnaturi. Ad id pri-

mùm veluti ad rem incredibilem expauit Ruizius, ac hominis perfidiã tum demùm deprehendit, quùm argumenta sua, quæ illi biduó antè syncerè communicauerat, àb eo in medium proponi atq; dissolui videret, adeò accuratè, vt nihil sibi dicendum relinqueretur. Itáq; homo ea arte circunuentus ac armis exutus, arena cessit, victoriam summa tum perfidia tum impietate partã apud vnum Ariam relinques. Neq; in causa doctoris Egidij, de qua nonnihil mox dicemus, probatiore fide egit. Quùm enim (vt constantior fama est) homo syncerissimus eum, quem nouerat de doctrina iudicium inter complures ferre posse, doctrinæ suæ arbitrum apud ipsos iudices compellasset, iudicium tulit quale tulisse de mendatio honestum foret. Cæterùm is fuit qui in D. Isidori Hispalensi cœnobio, omnibus vsq; ad illud tempus profundum ignorantiæ somnum in inueterata illa superstitione dormientibus, nonnullas veritatis scintillas primus intulit, quibus præcipua eius sodalitij pars veluti in tetra caligine è profundo suo somno expergefacta, detergere cœpit oculorum lippitudinem ac demum meliorem in vera reli-

gione institutionem desiderare. Acerrimis enim ac crebris concionibus, quibus & interdiu & noctu sæpè post matun as preces ab hora noctis secunda ad quartã vsq; dabatur locus, id agebat Arias vt totum institutum planè euerteret, licet non apertè, sed tectè nimis, & à remotissimis scaturiginibus aquam ducens. Docebat, In choris totos dies noctesq; nunc sermone nunc cantu recitare sacras preces, non esse precari Deum. Exercitia veræ religionis esse alia quam existimaret religiosum vulgus. Legendas ac præmeditandas esse summo studio sacras literas, ex quib9 vnis vera Dei & voluntatis ipsius cognitio, item eius religionis notitia quæ ipsi in primis probaretur, haberi posset. Adhibendas esse ad id obtinendum alias preces, nempe quæ ex ipso necessitatis sensu & ex vera in Deũ fide orirentur. His & similibus Christianæ Religionis axiomatis sæpè ac eximio ardore inculcatis, & quidem citra illum periculum, néq; enim ea nisi planè impius inficiaretur, præsentis ac vsitatæ illius religionis ædiũ, desideriũ verò melioris, maximè autẽ sacrarũ literarum acre quoddã studium erè in omnibus excitabat. Cõcionibus ad-

debat

debat quotidianas ex Prouerbijs Salomo-
nis prælectiones eruditione plenas, & ad
institutum mira dexteritate accommoda-
tas. Accedebant priuata ac familiaria col-
loquia, insuper & quotidiana vitæ consue-
tudo, omnia ad idem institutum ex profes-
so comparata. Inciderat in mitia ingenia,
& (quod prodigio simile meritò videatur)
superstitionibus monachatus haud impen-
sè addicta, vndè arcanorum diuinorum dis-
pensatori alioqui fido totam illam supersti
tionis operosam molem, inuecto puro Dei
verbo, breui euertere quàm facillimũ fuis-
set. Sed homo nunquam sibi satis constan-
tis ingenij, post pulcherrimas illas præpa-
rationes, quibus auocatos à presenti super-
stitione animos, sibi autem mirum in mo-
dum concilatos suspendebat, ad intollera-
biles inedias, ad perpetuas vigilias coram
ipso panis sacramento, vndè nouas quasdã,
nescio quas, illuminationes expectarent,
ad euacuandas omni suppellectili, & libris
& lecto ipso cellulas, ad cubandum super
nudam terram, aut porrò standũ, cùm som-
no concedendum esset, ad gestandum loco
interulæ, ex equinis setis cõtextum thora-
cem, & ferreum baltheum ad carnẽ ipsam,

ac demum ad alia innumera eiuſmodi per-
nitioſa nugamenta reuocabat, quaſi verò
peſsima illa Zizania non ſatis commodè
recepta forent ni diuini verbi ſarculo, quo
ſupra retulimus modo, terra ipſa prius in-
nouaretur. Namq; reuulſa vetere ſuperſti-
tione noſter Arias, nihil quam nouam ean-
demq; periculoſiorem ac nocentiorem in-
uehebat. Reportarunt indè complures ex
auditoribus eoſdem fructus, qui ex eiuſmo
di pernitioſa diſciplina prouenire ſolent,
nempè, alij furoré, alij perpetuos quoſdam
æſtus atræ bilis, vt neq; ipſi longè abſint à
furore: alij immedicabilem prorſus capi-
tis dolorem, quo bona parte vacuum cere-
bro caput gerant nullo poſtea futuri vſui,
qui verò eas tùm animi tùm corporis ægri
tudines ex robuſtiore habitu corporis ſupe
rauerint, contracta ex illa inani opinione
ſanctitatis, immodica quadã ac planè pha-
riſeica æſtimatione ſui, alijs fœliciores ne-
mo ſanus iudicauerit. Excuſaret fortaſsis
Ariam à grauiſsimo alioqui piaculo, aut
melioris inſtitutionis imperitia, aut de-
niq; fatalis quiſpiam euentus, quo ad eam
prouinciam primùm capeſſendam, deindè
ea ratione adminiſtrandã fuerit cõpulſus,
niſi

nisi & ea omnia quæ veritatis loco supposuerit exacta veritatis ipsius cognitione animo habuisse cōdemnata, & apud aliquos per idem tempus suauissimè risisse illorum stultitiam, quos adeò facilè reddidisset sibi obsequentes ad ea omnia quæ ipse perscripsisset, cōpertum haberemus. Atqui ex illis veritatis granulis inter tot nugarū plenos pugillos tanta malignitate communicatis, vberes postea veræ pietatis fructus (quæ est vis diuinæ electionis) prouenerunt. Quorundam enim animi vetere iam superstitione omninò vacui, nèq; in noua illa satis acquiescētes, dùm solidiorē quampiam institutionem requirunt, in alterius factionis magistros, qui purius docebant veritatem, imprudentes inciderunt. Istorum amicitia ac consuetudine nacti sunt purioris ac solidioris cognitionis principia, in primis verò tetra illa àc horribilis opinio de Lutheranis, quos vocant, animis excuti cœpta: & quādo absolutā habituros se veritatis cognitionē nisi eorū libris aliquādo liceret vti, arbitrarētur, nè in hoc quidē desijt Deus eorū pijs votis respondere. Mirabili enim quadam ratione ipsis planè dormientibus intulit eis non solum

quicquid eiusmodi librorũ paulo ante desiderare ausi fuerant, verum etiam quicquid opimum & pingue vel Geneuæ vel vspiam per Germaniam ad illud tẽpus erat editum. Ea copia ditati ac suis ipsis magistris facti opulentiores, ita suum cœnobium instituere cœperunt, vt ex duobus, qui periculoso illi negotio dederant initiũ, intra paucos menses in cœnobio alioqui populoso perpauci essent, qui aliquem pietatis gustum non delibarent, nullus qui reclamaret. Iam precariæ horæ quas vocãt, in sacrarum literarum prælectiones erant versæ: consuetæ pro mortuis preces aut deletæ, aut maiori ex parte accisæ: indulgentiæ & expiationes à Romanis pontificibus olim concessæ, quibus vnis magna sui parte innittebatur illa moles, in totum obsoletæ: imaginibus nullus aut certè perpaucus honos erat reliquus: superstitiosa ieiunia in perpetuam sobrietatem commutata: ad monachatum nemo iam instituebatur sed ad veram pietatem: de vetere instituto promouendo nullus propemodum iam sermo, de irridendo, abominando, deniq; abolendo plurimus. Néq; intra ipsa Cœnobij septa modo continebat diuina illa lux, ad ipsã

vrbem,

vrbem,& ad circumuicina oppida extēdebatur, tum libris tum ſermone communicatis. Cúmq; iam eò res deducta eſſet, vt præter robuſtiſsimum illud Miſſæ idolum, & ipſam monachatus perſonam, quæ veſtitu & capitis raſura conſtat, nihil propemodum conuellendum ſupereſſet, neq; id aut vltra tollerari ſine manifeſto piaculo, aut conuelli demum poſſet ſine certo periculo, neq; vt videbatur, cū magno fructu, de deſerēdo illo nido & in Germaniā ad loca pietati liberiora commigrando cogitare cœptum. Auſus videbatur ingens, imò & quibuſdam temerarius. Néq; enim ratio vlla apparebat qua non vnus aut alter, ſed tot ſimul, atq; ij non ſolum in toto illo ſodalitio authoritate præſtantes, verū etiam nonnulli ex ipſis ob ſingularē doctrinam in ipſa vrbe conſpicui, deſerto ac propemodum depopulato, in tota Bethica, celeberrimo cœnobio ab vltima penè Hiſpaniæ ora tuto in Germaniam penetrarēt. Néq; ſingulatim errepere, ijs qui poſtremi forēt, ſine magno erat periculo, Inquiſitoribus præſertim, qui altum antea dormire ſomnum videbantur, nouitate àc celebritate rei à malignis quibuſdam expergefactis:

quare aut omnibus, qui in eo erant consilio, egrediundum erat simul, aut demum periculum de proximo impēdens simul expectandum. Itáq; illis in ea perplexitate hærentibus, aperuit Deus rationem, qua arreptis ex occasione honestis prætextib9, intra mensem vnum duodecim elaberentur, àc diuersis itineribus Geneuæ, quem locum figendis sedibus ante egressum sibi destinarant, anno tamen reuoluto, sese mutuò conspicerent. Qui vero sacra doctrina initiati in cœnobio mansere, aut quòd consiliū abeūdi nō probassent, aut quòd ad discessum nō fuissent dispositi, paucis postea diebus irruenti tempestati patuerunt. Cōbusti iam sunt ex eodē cœnobio quinque, pleriq; alij diuersis alijs affecti multis, néq; aliquis hactenus est habitus Hispali Inquisitorius fidei actus, seu potius triumphus, ad quem cœnobium illud vnum aut alterum, aut etiam plures non suppeditarit: estq; vero consentaneum veræ doctrinæ semina, quæ per complures dies in eo affatim exundauit, vsq; adeò vel inter ipsos ædificij lapides adhærere, vt nisi disijciantur & in calcem denium conuertantur, suppeditare quotannis inquisitorio ro-

go Lutheranum vnum aut alterum nõ cessent. Ad hanc pulchram historiam consultò digressi sumꝰ data occasione, studio gratificandi Ecclesiæ Christi, ergâ quam malignè nos acturos arbitraremur, si pios hosce viros ea priuaremus memoria, qua ob adeò cominus oppugnatã superstitionem, idq; nõ minus strenuè quam periculosè, contemptis propter pietatem tanta animi magnitudine, spõtéq; abdicatis certis illis tum honoribus, tùm delicijs, atq; in earum locum recepta paupertate, contemptu, exilio à patria, dedecore ingẽti, ac vitæ ipsius, quam alioqui ærumnis plenum ægrè admodũ tuẽtur, quotidiano periculo, essẽt adornãdi. Atq̃ hos euẽtus memoria dignos secũdũ Deũ idcirco Ariæ, de quo nobis institutꝰ est sermo, bona ex parte acceptos ferimus, quoniã ex illis primis scintillis, quas ipse in cœnobium illud, licet aliud agens, primus induxit, ingens ille rogus est accẽsus, quo & cœnobium ipsum & foris bona vrbis pars, vt alia complura loca prætereamus, in Dei laudem conflagrauit. Igitur Arias vt qui ex inconstantia & varietate ingenij adeò esset suspectus suis, atq; alijs exitialis, apud Inquisitores à suis sæpè delatus

causam dixerat. Euenit tandem vt in illis calamitosis diebus in quibus veluti in fatali quodam malo ad supplicium quisq; ob religionem rapiebatur, ipse quoq; postularetur, nèq; vt antea sæpè, sed seriò. Prædixerat hoc ipsum illi ante annos aliquot ipse Cóstantinus, àc sub iuramēto quidem. Nám cùm ab ipso Constantino quodam die ad prandium vocaretur, cui intererant Ægidius & Varquius, vt commodius atq; acrius de deplorata illa sua perfidia eum obiurgarent, siquidem leniorem commonefactionem sæpè anteà eluserat, ipse inter iurgia minitabundus iactauit vereri se nè tauros aliquando in publicū editos spectaculum videre cogeretur, inquisitorium theatrum ænigmate illo, haud obscurè tamen, illis ominās. Ad ea Constantinus, Testatum (inquit) tibi per Deum facio, nequaquam te, vt tu cogitas, è sublimi tum spectaturum ludos, quin potius in ipsa arena futurum, Dei tamen occulto ac plane adorando consilio factum est, vt ea postrema captiuitas perfido alioqui homini, non exitio, sed veræ & à quoquam nūquam anteà speratæ resipiscētiæ fuerit. Adeò enim seria anteactæ vitæ pœnitentia ipsius animum

mum subijt, vt homo alioqui quouis lepore aut simia meticulosior, inter ipsas quæstiones inexpectata animi cōstantia & quæ miraculosam quandam in eo mutationem argueret, veritatem oppugnantibus restiterit, Inquisitores verò ipsos maiestate illa semideos quàm acerbissimis verbis obiurgaret, aptiores esse asserens qui post ternos aut quaternos asinos agasones agerēt, atq; id fore ipsis satius, quam fidei censuram sibi sumere, quam turpiter ignorarēt: se vero vehementer pœnitere, neq; eam pœnitentiam, quoad victurus esset, ex animo depositurum, quòd eam veritatē quam nunc defenderet, sciens & volens aduersus pios illius defensores sæpè coram ipsis oppugnasset. Eiusmodi acerbas obiurgationes quoties in audientiam eum vocabant Patres fidei ab eo ferre cogebantur. Eductus est in triumphum omnibus illis teterrimis quidem hominum iudicio, at clarissimis & supra quàm dici posit iudicio Dei honestissimis notis insignitus, senectute grauis, sed in primis illustrissima tum anteactæ vitæ pœnitentia, tùm veritatis confessione venerandus, scipione innixus, adiitq; ex triumpho ignis supplicium hilaris

ac lætus, quæ sua illa perfidia ac hypocrisis Ecclesiæ prius dederat damna, clarissimo illo & ęterna memoria digno resipiscentiæ exemplo in ipso vitæ exitu abundè compensans. O virum verè beatum, atq; ob id inter principes illos ab Ecclesia in mundo condita fidei strenuissimos assertores singulari honoris sede collocandum, quod ex malitia omni alia, quæ excogitari possit, deploratiore, ad parem cum illis veritatis confessionem repentè emersit. Paulus selectissimum illud Dei vas primum in ordine peccatorum se constituit, quòd Ecclesiam Dei, sed ignoranter & bono quodam modo Zelo persequutus fuerit: at vero nostrum Ariam, qui sciens volens, non apertè sed ex insidijs, domesticus sanè hostis eandem afflixit, quoto inter peccatores reponemus loco? Paulus occulto Dei consilio factum esse dicit, vt misericordiā, qua se tot modis reddiderat indignū, consequeretur, vt in me (inquit) ostenderet Christus Iesus omnem clementiam ad exprimendum exemplar ijs qui credituri sunt illi: quantum ergo in hoc nostro nouo Paulo clementiam suam, bonitatis suæ diuitias, ac misericordiæ thesauros illustrat

Chriſtus? Quale peccatóribus incomprehenſibilis clementiæ, gratiæ, ac dilectionis ſuæ in iſto edit ſpecimen? Itàq; ex hoc mirabili ac planè nouo diuinæ bonitatis exemplo addiſcere erit operæpretium, ergâ eos quos vel in deploratiſsimo omnium ſtatu viderimus, & linguas & iudicia imprematura cohibere, quòd quid Deus de ipſis conſtituerit omninò ignoremus. Quin potius iuxta Pauli præceptum ſperemus vſq; meliora.

DOC-



DOCTOR IOANNES EGIDIVS
IN SVMMO HISPALENSI TEMPLO canonicus Concionator.



Ontriuerat Doctor Egidius meliorem ætatis partẽ in ſtudijs adeò infœlicibus, vir alioqui ad ſtudia literarũ néq; ineptus, néq; in eiſdem perſequendis mediocriter pertinax, vt neq; poſt abſolutam eorum ſtudiorum encyclopediam, & adeptos in ſcholis eruditionis nomine ſummos honoris gradus, Poſt deniq; diuturnam in Theologia profeſsionem (quæ erat illius ætatis erga ſtudia literarum conditio) vix commodè Latinè loquj poſſet. Néq; integrum foret malum, niſi & turpi cum linguarum, tum bonarum diſcendi artium partim ignorantiæ partim corruptioni, ſacrarum literarũ blaſphemus ac planè impius quidam cõtemptus acceſsiſſet. Audiuimus ex ipſius pij viri ore ſtudiorum ſuorum infœlicitatem & ſeculi illius tenebras deplorantis, ea tum fuiſſe

fuiſſe tempora,vt qui in Complutenſi Academia, vbi ipſi didicit, quoquo modo attigiſſet ſacras literas, tantum abeſt vt inter doctos ſcilicet cēſeretur, vt probri nomine bonus bibliſta ab alijs vocaretur, Lombardo, Aquinate, Scoto, Gregorio Arithmetico & alijs eius claſsis authoribus omne punctum ſapientiæ atq; adeò ſacræ Theologiæ præ ipſis ſacris literis ferētibus. Quū Siguencæ Theologiam publice profiteretur, aſcitus fuit Hiſpalim, vt in ſummo templo eſſet à ſacris concionibus ab Alexandro quodā, qui in eo munere eum præceſsit,probitatis ac doctrinæ nomine adeò ſtudioſè commendatus,vt Eccleſiæ capitulum, cōtra receptum morem & ſtudia ipſa, nulla prius inſtituta doctorum oppoſitione, quam vocant, eum nihil eiuſmodi expectantem accerſiuerint, & ſuggeſto præfecerint. Et Egidius quidem in ea Theologia, quæ tùm in toto Chriſtiano orbe obtinebat, eminentiſsimus habebatur,àt néque publicè concionatus fuerat, néq; attigerat vnquā ſacras literas. Itáq; ſuggeſtum conſcendēs cum ineptiſsimus ad id muneris præter omniū expectationē deprehenderetur, & ſibi ipſi grauis, & alijs, magno

contemptui esse cœpit: quo in dies magis magisq; aucto, & eos qui eum prius minus prudenter accersiuerant, & ipsum qui prouintiam, ad quā omnino esset ineptus, haud minus imprudēter adijsset, tāta facti pœnitudo incessit, vt & ipse de vltrò deserēda statione, & illi de eo loco submouendo non semel cogitarint. Post annos aliquot in ea rerum difficultate exactis, Egidius incidit in oportunum monitorem quendam, (diuina vtiq; Prouidentia & illius & totius vrbis rebus benigne ita consulente) qui intra paucas horas eum exactè edocuit Christiani concionatoris officium, ad quod fœliciter obeundū, & alijs studijs, & libris aliis, alijsq; viæ commonstratoribus quam quibus ad illud vsq; tempus fuisset vsus, opus foret. Obstupescebat primò AEgidius ad inexpectatam illam concionem: in primis verò hominis audaciam vehementer mirabatur, qui vnus è media plebe, idiota, néq; de mentis sanitate omnino benè audiens, tātū doctoré eundēq; antea néq; familiarē neq; satis notū tāta fiducia edocere ausꝰ esset. Sed vt erat natura mitis, & sermo erat de officio cōcionatoris in quo adeo inauspicatò ipse versaretur, facilè sibi imperauit

vt æquis auribus illum audiret. At fuit diuina monenti tanta ſpiritus Dei vis in dicendo, vt ab ea hora AEgidius in alium virum mutatus, totius anteactę vitę ſtudia ac labores omnes inanes ac prorſus incaſſos iudicaret, ac nouam aliam ſapientiæ viam ſibi fore ingrediendam cuius neq; alphabetum ipſum didiciſſet. Et quando neq; ipſe monitor ab officio concionatoris abſoluebat, vocari ſe ſentiebat intus ad eam prouinciam ex qua nihil neq; honoris neq; cõmodi in mundo eſſet reportaturus. Obſtupeſcẽt fortè multi ad monitoris nomẽ, qui tanto viro tã breui temporis ſpatio & tantæ mutationis author, & veræ ſapientiæ magiſter extiterit: atqui euulgandum omninò nobis eſt, vt admiranda Dei conſilia per mundi fatuos mundanam ſapientiam infatuantis impenſius celebrentur, atq; adorentur. Is fuit Rodericus Valerius pſeudo prophetæ ac pſeudapoſtoli & nequiſsimi impoſtoris nomine ab Inquiſitoribꝰ antè viginti ſex annos Hiſpali publico iudicio damnatus, ac in exilio ob veræ pietatis confeſsionẽ mortuus. Huius admirandam ſanè vocationem ad verã cognitionẽ Chriſti hoc quoq; loco paucis recenſere, neq;

ingratum pijs,neq; (quando in eius memo riam incidimus) ab instituto alienum iudi- camus. Igitur hic Valerius Nebrissæ ciuis, (oppidi Bethicæ ob antiquitatem ac pre- cipue ob Antonium Nebrissensem virū do- ctissimum & latinæ linguæ in Hispania no- stra ætate restitutorem in primis clari) ex honesta familia nat9 cū neq; opes deessēt ad tuēdā familię honestatē, eā tuebat cōmuni hominū more,nō in virtute,sed in equis,in equorū apparatu, in ludis,in vestiū luxu,in venationibus & id genus alijs studijs nobili tatē reponēntiū·Erat enim in ijs excercitijs Valerius iuuenum vrbis suæ facilè primus, adeò vt nō solum ęqualibus & ætate & opi- bus par esse vellet, verum etiam eos om nes anteire. In medio illorum vanorū stu- diorum cursu repentè diuinus quidā furor (qua vero occasione, quo monitore, quo demum modo, ignotū) eum corripit, quo, abiectis in vniuersum pristinis studijs, & quod difficilius videri poterat, contemptis hominum iudicijs, vniuersas tum corporis tum animi vires adeò acriter ad studia pie- tatis intendit,vt mundanum nihil in eo fu- isse reliquum videretur. Admiranda homi- nis mutatio quæ tum in verbis tùm in ipso cultu corporis antea molliculo & splendi-

do; tum vero horrido & ſordido apparebat, ab alijs ſuſpiciebatur, ab alijs, atq; id quidem à pluribus, vt inſania aut etiam ebrietas irridebatur. Sed quẽadmodũ eiuſmodi corrupta iudicia, cũ hoc ipſum Apoſtolis Spiritus Sancti virtute afflatis contigit, ipſa ſpiritus effecta refellebant, ſic ſerius quidam Dei metus, prioris vanitatis deploratio, ardentiſsimum iuſtitiæ deſiderium, ſtudiumq; indefeſſum, in primis verò de his rebus ac de omnibus demum veræ pietatis capitibus iugis ſermo ad ipſam ſacrarum ſcripturarũ amuſsim accuratè collimatus, eiuſdem Spiritus prçſentiam ſanioribus iudicijs in Valerio quoq; teſtabatur. Aſſequutus fuerat in adoleſcentia nonnullam Latinæ linguæ cognitionẽ qua adiutus, ſacras literas diu noctuq; verſabat, quo pertinaci ſtudio fiebat vt bonã earum partem memoria retineret ad vſumq; miraculoſa quadam dexteritate ac promptitudine applicaret. Habebat quotidiè cum eccleſiaſticis, quos dicunt, viris, clericis ac monachis perpetuas concertationes, quorum cauſa factum eſſe aſſerebat vt non ſolum ipſe eccleſiaſticus ordo verumetiã omnes chriſtianæ reipublicæ ſtatus tanta cor-

ruptione laborarent vt nulla aut certè parua spes appareret sanationis: atq; hoc nomine acerrimè eos perpetuoq; obiurgabat. Petebant ab eo, nempè Pharisæorum proles, Vndè sibi ea noua rerum sacrarum peritia? Vnde illa audacia qua in sanctos patres, Ecclesiæ lumina atq; columnas (siquidem vniuersos Ecclesiæ ordines acerrimis suis obiurgationib9 percellebat) adeò insolenter inueheretur homo laicus, sine vllis prorsus literis, imo profanis studijs ac maiori ex parte perditis per totam vitam deditissimus. Qua id demum authoritate faceret? Quis misisset? Ecquod vocationis suæ signum? Belli homines cum néq; inficiari flagitia, néq; iustis rationibus coarguenti eorum tenebras, luci resistere possint, ad ea subterfugia in omnibus ætatibus confugerunt. Respondebat vero ad ea omnia Valerius candidè ac cõstanter. Constare quidem sibi eam sapientiā non ex suis ipsorum lacunis, quæ corruptissimæ iam essent: sed Spiritus Dei beneficio, cuius tota flumina è corde verè credentiū in Christum essent exundatura. Audaciā verò suppeditare sibi tum eum qui mitteret, tū veritatem ipsam, Spiritum Dei, qui nulli or-

dini

dini quantumuis ecclesiastico, præsertim corruptissimo esset alligatus, ex laicis olim, eisdemq; idiotis piscatoribus apostolos constituisse, qui eruditam in lege synagogam totam cæcitatis redarguerent, vniuersam orbem ad salutis scientiam vocarent. Ab eodem Christo se missum, eius nomine atq; authoritate agere, generationem vero notham & quæ à vera filiorum Dei stirpe iã olim degenerarit, signũ quærere, quùm corruscante luce ac fulgore suo perstringente omnium oculos tenebræ ipsę iam sint manifestissimæ. Vocatus demum istis de causis ad Inquisitorũ tribunal, disputatũ est acerrimè de vera Ecclesia Christi, De ipsius notis, de hominis iustificatione & de ijs similibꝰ capitibus quorũ notitia nullo planè humano ministerio sed pura eademq; mirabili Dei reuelatione Valerio contigerat. Excusauit illum ea vice apud Inquisitores insania, qua hominem laborare existimarunt, & sic demum exutus omnibus fortunis, vt scilicet ab insania resipisceret, dimiserũt. Resipuit verò nunquam, adeò vt post aliquot annos iterum ob easdem causas accerseretur: atq; ad palinodiam adactus, parcitum est vitæ ipsius

quod adhuc insanire æstimaretur. Damnatus tamē fuit ad Sambenitum perpetūo gestandū & ad perpetuos carceres, ex quibus, singulis dominicis diebus cū alijs concaptiuis ad audiēda sacra ducebatur in tēplū Sancti Saluatoris quod dicunt: vbi sæpe è sua sede surgens spectante vniuerso populo, concionatoribus falsa docentibus vel captiuus contradixit: sed ea omnia inquisitores eo tempore haud omninò mali nomine insaniæ excusabant. Translatus ex eo carcere Sanctum Lucarum in cœnobium quoddā, obijt quinquagenario maior, vir, eo tempore in prodigium orbi datus quo monitore ab illo impietatis læthargo excitaretur. Et quoniam inauditi erant Hispali eo tempore illi tituli, ob quos piissimus vir iniquissimam illam censuram tulit, Sambenito omnium qui ad eam ætatem quisquam gestauit maximo donatus fuit, qui & visitur ob singulare quoddam hæreticissimi hominis monumentū in ęde Sacrarij summi templi Hispalēsis in loco cōspicuo hoc scripto prægrandibus literis insignitus, RODERICVS VALERIVS ciuis Nebrissensis atq; Hispalensis apostata & pseudapostolus, qui à Deo se missum dixit.

Hoc monitore expergefactus primò est doctor AEgidius vt supra dictum est, eoq; doctore primò didicit verum Christi Euangelium, quod per multos antea annos neq; discipulus neq; magister ne audiuerat quidem. Fauit ei quoad licuit, dū causa ipsius coram Inquisitoribus agitabatur, cuius opera factum esse creditur, vt Inquisitores ad clementiam flexi, iudiciū ergâ relapsum precipuè, vt ipsi vocant, temperarent. Nec paruo constitit AEgidio illa pietas erga magistrum: contraxit enim indè ingentem tum inuidiam, tum suspicionē, apud illud Pharisæorū genus quibus vera pietas vsq; exosa fuit. Secundum illam salutarē commonefactionem accessit AEgidio Constantini Fontij viri ad prodigium vsq; eruditi familiaris consuetudo atq; arcta amicitia, qua, cōmunicatis vtrinq; studijs, AEgidius in melioribus literis institui, & bonos authores legere, ac demúm in vera theologia vehemēter proficere, cœpit. In primis verò, vt quibus de rebus iam cum fructu ad populum cōcionaretur, & melius sapientium communicatione, & præcipuè sua ipsius experiētia erat edoctus, tàm doctè, tam piè, tanto deniq; in dicēdo ardore

cœpit cōcionari,quā frigidè,indoctè, atq;
ineptè antea. Sentiebant auditores doctri-
næ virtutem quæ à tribus iam eximiæ au-
thoritatis viris AEgidio; Constantino, &
Varquio magno consensu tradebatur, quo
fiebat,vt quo magis ex inueteratis illis ig-
norantiæ tenebris emergebāt,eo isti in ma
iori haberentur pretio, vilesceret verò in
dies assidua congressione lucis hypocrita-
rum turba, qui tanto cum dispendio ani-
marum aliter docuissent. Oriebantur hinc
apud inquisitores de tribus illis veritatis
assertoribus perpetuæ querelæ, in primis
verò de doctore AEgidio, qui vt sociis &
simplicitate ingenij & authoritate præsta-
bat,ita quoq; & apertius & frequentius lu-
cis hostes lacessebat. Atqui tum maximè
eorum inuidiam in se concitauit summam,
cúm post aliquot annos in ea functione e-
xactos, ob singularem & doctrinam & mo-
rum sanctitatē electus est à Cæsare in Epis-
copum Dortosensem: tùm enim hypocri-
tæ insignem quampiam regno suo calami-
tatem ominantes, si AEgidius Episcopa-
lem sedem conscenderet, iunctis vndiq; vi-
ribus, non leuioribus vt antea pugnis, eum
opprimendum censuerunt. Itaq; voca-
tur

tur seriò ad Inquisitorum tribunal, agitatur causa per artifices iniquitatis subtiliores, conijcitur in Inquisitorium carcerem. Primarium quæstionis caput erat de hominis iustificatione, quod & connexa quoq; alia sequebantur, videlicet, de hominum meritis, de purgatorio, de adinuentis humana industria peccatorum expiationibus, de vnico mediatore Christo, de certitudine fidei in iustificatis &c. Iis accedebant quoq; alia, videlicet, occasione cuiusdam nefandi idoli diuæ Virginis a Sancto rege Ferdinando (vt fertur) miro artificio fabricati, quod in nonnullis ferijs diuæ Virgini sacris magna cum pompa ostentatur, de idololatria, siue de cultu imaginum. Item occasione cuiusdã lignei fragmenti, quod in summo templo pro ligno crucis in qua pependit Christus prodigiosa quadam superstitione colitur, quã, in cineres redacto ligno, AEgidius aboleri concupiuerat, de eo quoq; actum est. Item, de inuocatione sanctorum mortuorum, de abolendis è Christianorum suggestibus humanis doctrinis, & puro Dei verbo in eis tradẽdo: & de alijs argumẽtis in primis necessariis. Illud quoq; appẽdicis vice fuit ad

Respondit ad ea omnia AEgidius, in primis verò circa primarium illum articulum accuratissimam edidit doctrinæ suæ defẽsionem, qua nullam nèq3 doctiorem, néq3 magis piam, neq; pleniorem hactenus vidimus. Ea ipsa responsione latissimam fenestrã apperuit aduersarijs, scilicet nouos alios atq3 complures errores hæresesq; colligendi. Nondum eò audaciæ peruenerant Inquisitores, vt de tanto viro ob illas causas comburendo cogitarent, licet ab aduersarijs ad eam sæuitiam vehementer vrgerẽtur, iniebantur itaq3 rationes quibus vitæ ipsius, qui alioqui nullo modo à sententia dimoueri posset, esset consultum, ipso Ecclesiæ Hispalensis capitulo, ac ipso Cæsare, qui pàulo ante amplissimo episcopatu dignum iudicarat, pro illo intercedente. Subleuabat quoq3 multum illius causam Corranus venerandus senex alter ex Inquisitoribus, cui & ipsius pietas, & hypocritarum, à quib9 accusabatur, peruersitas perspecta erat, licet aduersante impio collega Petro Diazio, qui abiecta veritate, quam & ipse à Valerio Nebrissẽsi ex D. Pauli epistolæ ad Romanos familiari interpretatione ante didicerat, & cum gratiarum actione

acce-

acceperat, hypocrita nimirum ambitiosissimus ad aduersariorũ partes apostatauerat. Mortuo iam Varquio, & Constantino cum Cæsare, cui erat à concionibus & confessionibus, apud Belgas agente, doctrinæ nimirum inter Hispanos nouę, arbitri vtriusq; partis nomine quærebantur. Nominauerat pro se AEgidius inter alios Bartholomeum Zamorensem Dominicanę factionis monachũ, virũ in primis doctum, & in veritatis cognitione instructum, qui ad archiepiscopatum Toletanum beneficio Cæsaris postea emersit, atq; eo ob religionem, siue quod verius existimatur, ob inuidiam Archiopiscopi Hispalensis Inquisitoris Primarij, amisso, inter acerrimas cum Inquisitoribus concertationes nuper obijt diem. Atqui & hic quoq; cum Cæsare agens, causæ examinationi interesse non potuit. Tulit per idem tempus de ea doctrina iudicium Arias, Magister Blancus vulgo dictus, sed quale in ipsius historia retulimus, quod & aliquando fortè cum ipsa AEgidij responsione edetur, atqui an ab ipso AEgidio, an vero ab ipsis Inquisitoribus ad id vocatus, nondum satis compertum. Itaq; alijs absentibus, alijs periculo-

sum

ſum iudicium detrectantibus, ad Dominicum Aſotum Dominicane factionis in Academia Salmanticenſi ſophiſtam magni nominis, iudicium eſt deuolutum. Is poſteaquam diu expectatus magno molimine Salmantica Hiſpalim venit, calidiore conſilio quam alij antea egiſſent, cum homine alioqui nimis ſyncero, ne dicam improuido, cœpit agere. Præ ſe enim ferens omnem beneuolentiam atq; animi candorem, poſtquam hominem inexpugnabilis ſententiæ, ſi cum eo aperté foret agendum, eſſe intellexit, ſimulato conſenſu in doctrina, perſuaſit tãdem vt ea doctrinæ capita quæ in controuerſiam erant vocata, ad tollendam publicam illam infamiam qua iam eſſet apud omnes diffamatus, publicé quoq; commoda quadam declaratione exponeret: ſe verò commodam illam interpretationem præſcripturũ, qua, ſi placeret, vteretur: ſin minus collatis inter ambos rationibus ea demum ederetur, qua & conſcientię vtriuſq; & veritati in primis melius foret conſultũ. Præſcribit Aſotus eam declarationis formulam, cõferunt de ea inter ſe, conueniunt demùm citra vllam omnino controuerſiam. Conſtituitur

ab

ab Inquisitoribus publicæ illi declarationi dies solennissimus, adornantur suggestus duo in summo templo, AEgidio alter, Asoto alter. Conuenitur magno totius populi concursu. Concionatur Asotus, atque mox à concione educit è sinu declarationis formulam illi omninò contrariam in qua conuenerant, nanque in illa nihil fuerat quod & confessioni AEgidij & veritati ipsi non esset consentaneum: in ista nihil, quo ea omnia, de quibus fuerat accusatus, & quæ tanta animi constantia toto biennio atque in ipsis porrò vinculis defenderat, non apertè reuocaret. Distabant longiusculé inter se suggestus, murmur populi de rebus illis diuersas sententias ferētis adeo perstrepebat, vt quæ Asotus diceret, AEgidius nō posset intelligere. Itaq; homo nimis credulus, Asoto ad singula fraudulentæ illius reuocationis capita assensum nutibus & sublata altius voce, quo exaudiri ab incauto posset, petente, nutu quoque testabatur ex ipsius esse sententia quæ Asotus ex scripta formula legisset. Condemnatus ibi fuit ad triennalem carcerem (eam sibi gratiam cōciliauerat perditissimus ille monachus) con-

concionibus, lectionibus, & scriptione per decennium interdictus, quo etiam iubebatur nè Hispaniæ finibus excederet: ac ne sic quidē intellexit actioni illi fraudē subfuisse, licet mulctas illas miraretur, quousque demum in pristinum carcerem reductus ex expostulantibus secū amicis propter abnegatam veritatem, fraudem deprehendit. Ea omnia haud aliundè quam ex ipsius ore, atq; etiam in ipso carcere didicimus. Vidit, dum in eo carcere esset triū precipuorum hostium suorum obitū Sbarroyæ dominicani sophistæ, Petri Mexiæ hominis philosophi nomen absq; vllis bonis literis ridiculè sibi arrogantis, & Petri Diazij Inquisitoris, quem a veritate impiè apostatasse, supra diximus: neq; enim citra speciale quoddam iudicium Dei accidisse videbatur tres acerrimos veritatis hostes, innocentis ac pij viri oppugnatores intra alterum annum quo ipse esset in carcere & de causa ipsius ageretur è medio tolli & alium post alium rapi, neq; sine rumore decessus parū tranquilli. Vixit AEgidius post illam fraudulentam reuocationē quatuor aut quinq; annos piæ illi Ecclesiæ venerabilis, neq; minus vtilis quàm cum integra

illi

illi erat libertas concionandi. Inuisit per illud tempus occasione legationis fratres qui Valleoleti ſub Doctoris Cacallæ diſciplina, Euãgelio Chriſti, abnegata impieta te nomen dederant : atq; eis conſolatis & confirmatis Hiſpalim rediens ex itineris longiuſculi agitatione, qua à multo tempore non erat aſſuetus incidit in aduerſam valetudinem ex qua intra paucos dies è laborioſa vita migrauit ad æternam quietem. Relinquit in Geneſim, in Epiſtolam Pauli ad Colloſenſes, in Pſalmos aliquot, in Cantica Canticorum commentaria hiſpanicè longè doctiſsima atq; Chriſtianam pietatem & pectus quoddã ſpiritu Dei plenum vndiq; ſpirantia, quæ vt ſingulares quædã Eccleſiæ delitiæ in ipſius vſum à fidis viris aſſeruantur. Ea omnia & ſi pijſsima atq; doctiſsima ſint, tamen quæ in ipſo carcere atque adeò inter ipſa vincula conſcripſit, adeò ſingulari pietate & affectibus ab Ipſo Dei ſpiritu excitatis alia præcellunt, vt videre quiuis poſsit, ad eximie de diuinis rebus ſentiendum ipſam Crucis præſentiam pijs ac renatis animis maximo adiumento eſſe. Poſt duos aut tres annos à pijſsimi viri obitu viſum fortè eſt nouis Inquiſitoribus,

eos, qui de illius causa iudicarunt, mitius cum eo egisse quàm pro inquisitoria truculentia: & quando sanctos illius manes ab interpellabili illa requie ad suum tribunal reuocare non possent, in inane cadauer & sicca ossa esse sæuiendum. Ergò eductum è sepulchro & in theatrum allatum, suffecto in illius & locum & nomen simulachro stramineo, supplicio afficiunt, quo à dextris Dei cum Christo consedentē in terris captū affecissent. Sed, qui habitat in cœlis irridet eos.

DOC-



DOCTOR CONSTANTINVS FONTIVS IN SVMMO TEMPLO HISpalensi Canonicus Concionator



OElicissimis illius Ecclesiæ auspicijs, ni ad maiorē sui cō demnationem contigisset, pijssimo cō cionatori AEgidio Constātinus successit, pèr quem ille & in pietate & in doctrina solidiore permagnos breui progressus fecerat. Sed quando viri dignitas eò nos iure vocat, nōnihil altius erit nobis ipsius historia repetenda: in qua nihil profecto magis veremur, quàm quòd infantia nostra viro de pietate adeò bene merito de ipsius laude multum decedat. Nánq3 quibus laudibus te ornauero virum omnium sacris studijs addictorum quos nostra vidit ætas ornatissimū, quē rarissimis & vix in vno homine ātea visis tot dotibus diuina munificentia adeò accuratè adornauit, vt suspici quidē possint, æstimari pro dignitate nunquam. Mendacio potius quam prodigio simile, quod dicturi

jam ſumus, meritò quis iudicaret, in complu-
ribus hominum millibus teſtari poſſemus, neminē fere viri iſtius perſpexiſſe dotes, quem ad mediocrem aut inuidiam, aut beneuolētiam excitarint. Itáq; vir ad ſummum odium & ad ſummam pariter dilectionē, vt videbatur, natus, inimicos acres cōplures, idemq; haud pauciores amicos habuit. Amicos ſanè non intelligo, quos ipſe modò amaret, ſicut neq; inimicos eos, quibus ipſe malè vellet: ſed à quibus ſibi fortè ne cognitis quidem ipſe ex animo amaretur, ſuſpiceretur, coleretur. Quos enim ipſe pro veris amicis coleret, humani ingenij inſtabilitatem apprimè noſcens, vnum aut alterum vix habuit in tota vita, néq; id obſtabat, quo minus quos ob virtutem beneuolentia ſua dignos iudicaret, quibus poterat humanitatis officijs ſyncere proſequeretur. Iuuentutem quidē tranſegit prò ſtudioſorum iuuenum libera educatione non admodum laudatam, ſed quæ quo minus, quod ætatis ſubſequutum eſt, quàm laudatiſsimum extiterit, haud impedimento fuerit. Probatos enim ſatis mores, vt erat ingenio mirè feſtiuo, & in iocis peracuto, vna ſubindè iocandi licētia vel in prouecti-
ore

ore ætate corrūpebat: at id apud vnos aduersarios, quos, ni iocaretur, nihilo secius communi grauitate tanquam Curiana aut Catoniana austeritate offendisset. Circumferūtur lepidissima complura ipsius dicta, quæ si extra iocum pensentur, prudentissima apophthmegata quam iocosa dicteria rectius dixeris. Ea in aliam transfundi linguam integro lepôre omnino non possunt, Néq; saltius néq; frequentius vnquam est iocat9, quàm in hypocritas monachos aut clericos sanctitatis opinione turgidos, quā tamen in rebus flocci collocarent. In primis verò ridebat ineptos concionatores, quorum nulla ætas fuit vnquam sterilis, vilissimum hominum genus ex sacrarum literarū æstimatione, vt pote qui infatuato sali nullis profuturo vsibus, cæno ipso vilio res, comparentur. Nemo satis vnquā admiretur ingenij illius acumen, quod vel indè apparet, quòd in barbaro natus seculo, bonis tùm literis tùm disciplinis penè è memoria hominum iam olim sublatis, in communi errore aut vnus, aut certè inter paucissimos, saperet, tribus linguis Latina, Græca, & Hebraica nullo magistro adeò exactè perdoctus, vt vel solus eas pos-

 set

ſet reſtituere. Atqui omnes alias diſciplinas, quæ ad abſolutum oratorem conſtituendũ requiri ſolẽt, non tàm didiciſſe quam perdidiciſſe videbatur. His adminiculis aggreſſus eſt ſacrarum literarũ ſtudia, in quibus vel in ipſa iuuẽtute vſq; adeò eruditus euaſit, vt eo de ſacris aut rebus aut verbis ſeriò ferente cenſuram, nihil, niſi fortè inſcitiæ fœcundæ morbo laborantibus, relinqui videretur, quod in illius dicto deſiderare quis poſſet. Acceſſerat ea hiſpanicæ linguę peritia & facundia quæ quibuſcunq; illius ſtudioſiſsimis miraculo eſſet. His in primis præclaris dotibus ſuggeſtũ adijt, atq; in ea functione & prioris & noſtrę ætatis clariſsimos quoſq; citra vllam controuerſiam antecelluit. Eminebat in illo inter cæteras dotes mira quędam prudẽtia ad iudicãdum, ex multa illa eruditione, & ex longa rerum experientia, (videbatur enim veluti à ſpecula quadam humana omnia negotia contemplari) in primis verò ex exacta illa ſacrarum literarum cognitione parta, in quibus ceu in ſpeculo quodam res omnes tùm diuinas tum humanas certiſsimè contemplabatur. Cúm concionandum illi erat, (concionabatur verò vt plurimum, octaua

hora)

hora) tãtus erat populi cõcursꝰ, vt quarta, ſæpe etiã tertia noctis hora vix in templo inueniretur commodus ad audiendum locus. Atqui ex ſumma illa gratia, quam apud omnes (vnis malignis hypocritis dẽptis) ſibi comparabat, præter frugalem victum & bibliothecam mediocriter inſtructam, nullas omninò opes retulit homo nimirum ab illis peſtibus, quæ Eccleſiam Dei ſemper deuaſtarunt, auaritia & ambitione prorſus alienus. Quùm ad pinguem canonicatum in Eccleſia Toletana vocaretur, ad conditionem, quam complures ſui ordinis ipſam fœlicitatem exiſtimarent, adeò non accurrit, vt eam potius contemnendo nè è ſuis quidem iocis abſtinuerit. Mortuo enim epiſcopo Vticenſi, qui in ſummo templo fuerat à concionibus, Capitulum Conſtantino eum honorem citra vllam controuerſiam, oppoſitionem vulgo vocant, decernens, Hiſpali eum honorifica legatione accerſebat. reſpõdit ille haud multa delibaratione, ſe quidẽ ingẽtẽ ipſis habere gratiã quod tãto ſe honore dignũ ęſtimauerint, daturũq; operã ne in ingratũ collocaſſe videãtur. Cæterũ parẽtũ auoſq; ſuorũ oſſa ante multos ãnos ſepulta cõquieſcere, ſe vero nolle quicq̃

admittere occaſione cuius à ſácta illa quiete interturbarētur. Ea fuit reſpóſionis ſententia néq; pluribus (credo) verbis. Inciderant eo tempore acerrimæ controuerſiæ inter ipſum archiepiſcopum Siliceum piæ ſcilicet memoriæ, & Capitulum. Námq; archiepiſcopus, publicis etiam inuſtis notis, primoribus ex Capitulo, quòd è Iudæis originem alicundè ducerent, erat infenſiſſimus : illi contrà acerbæ iniuriæ impatientes (vt erant alioqui viri honeſti atq; opibus clari) ſtolido epiſcopo, qui ex aratro & glebis néq; virtute, nèq; eruditione, ſed (ſi ita dici licet) fortunæ potius temeritate ad ſummam totius Hiſpaniæ ſecundum regem ipſum, dignitatem cōuolarat, publicæ pacis turbatori diriſsima quæq; moliebantur. Ea occaſione nèq; à centum annis ſepultis parcebatur, inquirente malo archiepiſcopo, & quidē ſub prætextu religionis, in parētes, auos, atauos, canonicorū, eoſq; ad originū rationes peſsimè è ſuis ſepulchris reuocante. Eas non minus impias quam ſtultas contētiones ex ſua ipſius vocatione occaſione arrepta Conſtantinus tempeſtiuè admodū illo conciſo Laconiſmo perſtringebat. Eadem propemodum

ratione &canonicatum Guenguensis Ecclesiæ, opulentum, honorificum, in propria patria paulò antè contēpserat. Quùm primus omnium veræ pietatis notitiam inuexisset Hispalim, tanta dexteritate veritatē proponebat, hypocritas religionis caupones subindicabat, vrgebat, premebat, vt cū exitialē eū & sibi & regno suo aduersarium persentiscerent, tamē, qua citrà suum eximium pudorem illum accusarent, nulla videbatur ipsis iusta relicta occasio. Oderant sanè hominem odio ingenti atq; acerbo, sed illo telas eorum omnes, qua pollebat, mira dexteritate præcidente, nulla apparebat opportunitas, qua virus suum omne in illum euomerent: neq; tamen ob perpetuas illas insidias studium propagandæ lucis, quoad licebat, vnquam remisit. Contigit, haud dubiè Dei prouidentia fœlicitati illius vrbis benignè consulente, vt eodem tēpore tribus viris doctissimis Cōstantino, AEgidio, Varquio, qui & Compluti antea simul didicerant, magno consensu, imò verò conatu vno pietatem propagātibus Ecclesia illa frueretur. Varquius in Ecclesiæ cathedra prælegebat Euangelium Matthæi, quo absoluto accepit Psal-

mos dauidicos. AEgidius aſsiduè concionabatur, Conſtantinus minus quidem frequenter, ſed haud minore cùm fructu: atq; in eo curſu perſeuerarunt, quòuſq; tandem Deus duriora tēpora ad ędificij cuiuſquam explorationem adducere conſtituit, vt Varquius quidem inter ipſas iam cum Inquiſitione concertationes obiret ſupremum diem: Conſtantinus à Cæſare & filio Philippo aſcitus Hiſpali diſcedere cogeretur: AEgidius vero ſolus in luporum dentibus relictus tragedię à nobis ſupra recitatæ argumentum dederit. Reuerſus è Cæſare & aula Hiſpalim Conſtantinus poſt doctoris AEgidij obitum ad interpellatum propagandæ lucis curſum & prudentia & doctrina auctus ex illa profeſsione rediit, quem ſane tanto animi ardore arripuit, quanto nunquam anteà: néq; populi vniuerſi ſtudium ergâ illum & illius conciones merito ſuo erat minus. Contigerunt ei ex Capituli decreto conciones in ſummo templo ſecunda quaque feria alterius à reditu ſuo quadrageſimæ, quas quùm nondum ex aduerſa quadam valetudine confirmatus, imò adhuc ægrotus admiſiſſet, munus illud implęre coactus eſt delatus in templum viribuſq;

busq; adeo exhaustus, vt in medio concionis filo vno atq; altero limphati vini haustu vires ad pergendum in concione reficeret, nouam neq; vnquam anteà visam licentiam summa viri tùm gratia túm authoritate, qua pollebat, excusante. Prosperiorem nactus valetudinem rationem iniit pij instituti promouendi omniũ commodissimam neq; à quoquam vnquam anteà tentatam. Námq; magister Schobarius vir & doctrina & sanctitate in ea vrbe conspicuus, cui ex Senatus decreto collegij puerorũ (domũ doctrinæ vulgo vocant) cura erat cõmendata, cõmunicatis cũ Constantino cõsilijs, publicã sacrarũ literarũ prælectionẽ in eodẽ collegio instituit, translatis in victũ prælectoris ad ãnos singulos eis prouentibus, quos, se mortuo, impius quispiá sacellanus fuisset deuoraturus. Ad id munus delectus est Constãtinus, qui rei in primis salutari eximia sua illa eruditione auspicatum initium daret. Accepit primò Salomonis libros, Prouerbia, Ecclesiasten & Cantica canticorum atq; his mirabili eruditione explicatis, librũ Iobi est aggressus, quẽ vltrà mediũ interpretãdo perduxit. Extãt ipsius in hos libros prælectiones omnes manu scriptę opera Bab. diligẽtissimi

cuiusdã ex auditoribus exceptæ, quas cum vulgauerimus, deprehenso quanto interuallo post se relinquat eos omnes, qui hactenus in eos libros quippiam ediderunt, de summa viri eruditione certius iudicari poterit. Inuidit demum vrbi illi tantam fœlicitatem pessimus quispiam genius, qui spetiosa amplioris pietatis larua cõtectus ab illo salutari cursu hominem alioqui mirè circunspectum primum auocauit, deinde eis difficultatibus implicuit ex quibus nunquam postea, nisi vna morte, emersit. Vacabat per eos dies canonicatus concionalis seu (vt vocant) magistralis summi templi Hispalensis post obitum doctoris AEgidij, ad quem Capitulum libẽter Constantinum admisisset, cui vni ob spectatissimas dotes, & ab ipso Capitulo, imò & ab vniuersa vrbe, in suo vetere cõcionãdi curriculo à lõgo tempore satis exploratas, deberi videbatur: at neq; id licebat citrà oppositionem (Capitulum enim post errorem electionis doctoris AEgidij, vt in ipso diximus, decreto cauerat nè citrà consuetam & in omnibus Ecclesijs vsitatam oppositionem, cuiquam in posterum illud munus deferretur) & Constantinus eiusmodi oppo-

ſitiones concionatorum, vt quæ circulatorum aut citharædorũ cõcertationibus non admodum eſſent abſimiles, ſemper irriſerat. Intercedebat præterea Archiepiſcopus Hiſpalenſis Valdeſius homo curialis, & ob ſecretiores quaſdam cauſas Conſtantino, ob eo in primis tempore quo in aula regia fuerat concionatus & Cæſari familiaris, vehementer infenſus, qui, Capitulo de decreto illo ob Conſtantinum reſcindendo cogitante, decretum acriter vrgebat. Igitur indicta eſt oppoſitio, qua per celebriores Hiſpaniæ vrbes diuulgata, mox veluti vultures ad pingue cadauer nonnulli concionatores accurrerunt: ſed ſanioribus gratia atq; authoritate Conſtantini ab illius congreſſu abſterritis, vnus Manuelus Complutẽſis canonicus & alter quidam Malaccenſis pinguioris prædæ auidi in congreſſu perſeuerarunt. Sed & ille, ſaniore recepta mente, Complutum paulo poſt eſt reuerſus, Malaccenſi, Archiepiſcopi fauore in odium Conſtantini pro virili ſubleuato, pertinaciter in congreſſu perſeuerante. Victus tandẽ authoritate Capituli Conſtantinus, nullũ adhortationis genus ergâ eum omittentis, in primis verò importunis tum ſuaſioni-

ſionibus tùm precibus amici cuiuſdam, cui vtinam nunquam tantum detuliſſet (quod ni feciſſet, fortaſsis adhuc in viuis extiiſſet) in animum induxit, vt conſueta oppoſitionis forma canonicatum peteret, qua vna cæremonia, decreto integro, Malaccēſis excutebat̄, & eo promoto capitulum aduerſus Archiepiſcopum fiebat voti compos. Decepit Conſtantinum tum zelus, nè doctrinæ ſedem loquutuleius quiſpiam occuparet, qui doctrinæ ſalutari perpetuò ex alto obganniret, tum ſpecies quędam amplioris ſpei inſtituti doctrinæ curſus commodius ex eo loco promouendi, potius quam repreſentatæ in eo honore opes, quas generoſo animo ſæpè ante contempſerat. Igitur competitor & eruditione & authoritate & ipſa demum gratia Capituli Conſtantino nullo modo comparandus ad exceptiones perſonales conatꝰ omnes conuertens ſuſcitauit ei ineptias omnes iuuentutis ſuæ, contracta videlicet antequam ſacris initiaretur, matrimonia, neque ritè ſacris initiatum, néque rectè atque ordine Magiſterij & doctoratus inſignia accepiſſe. Premebat ex alio latere hypocritarū cohors, veteres hoſtes, quorū vt ex illa

inauſpicata promotione inuidiæ vlcus recrudeſcebat, ita etiam, renouatis omnibus veteribus de doctrina quæſtionibus, in ius ſeriùs quam vnquam antea vocabant, idq; apud inquiſitorium tribunal, in quo Archiepiſcopus VValdeſius nouus iā hoſtis ſumma authoritate pręſidebat. Inter eas acres cōtrouerſias cōſcēdit demũ cathedrā Conſtantinus Capituli fauore innixus, atq; eiſdē maximè gliſcentibus, exorta eſt ſæua illa tēpeſtas in illā Eccleſiā, occaſione librorũ Parui Iuliani, de qua ſupra ſæpe mētionē fecimus. In ea tempeſtate qui abſcondi poterat Conſtantinus? Itáq; raptus ad inquiſitoriam arcē, etſi ex controuerſijs præcedentibus omnium aduerſariorũ animos habebat vehementer exulceratos, tamen acutiſsimis ſuis reſponſis omnes eorum cauillos facilè, more ſuo, eludens, ad apertam fidei confeſsionem, ex qua periculum, vt ipſi exoptabant, crearetur, trahi non poterat: atque euaſiſſet tandem, vt ſæpè antea, ipſorum manus, ni mirabili quodam Prouidentiæ ſuæ artificio rotundam confeſsionē veritatis ſuę Deus ab inuito & modis ōnibꝰ tergiuerſante extorſiſſet. Capta fuit per eoſdē ſanè dies vidua quædā pia

atq;

atq; honesta & in primis opulenta Isabella Martinia, apud quam Constantinus selectiorem librorum suorum supellectilem, eos videlicet, qui citrà præsentissimum periculū haberi in Hispania non possunt, propter Inquisitorū insidias absconderat. Quùm opes illius viduæ sequestrabantur, pro more inquisitorio, filius ipsius Franciscus Bertramus ex vniuersa matris suppellectili opulenta valdè, subduxerat nescio quot arcas rebus pretiosioribus plenas, nè vniuersæ opes in illo Inquisitionis gurgite inexplebili absumerentur. Indicauit illud Inquisitoribus perfidus quidam seruus post aliquot dies. Itáq; Inquisitores per alguazilium suum Ludouicum Sotellium res illas petitum miserunt. Is quùm primum ad Bertramum venit, vt cœpit legatiōnē suam modestis verbis exponere, Bertramus arcarum fortè oblitus propter Constantini libros eum venisse ratus, illius sermonem anteuertens, Scio, inquit, domine Ludouice quid velis: quòd si bona fide pollicearis, ijs acceptis, ob quæ venisti, me missum facturum, mox ea tibi ostendam. Alguazilius de arcis intelligēs, (libros enim Cōstantini neq; quærebat, neq; de eis quicquam au

diue-

diuerat, pollicetur ſe id facturum: atque illicò Bertramus introducto eo in ſecretiſsima ampliſsimarum ædium parte, ac diruto tenui quodam latericio muro, oſtendit illi Conſtantini theſauros papyraceos quidem, ſed qui cuiuis auro præſtarent. Alguazilius eo inexpectato euentu ſtupefactus, dicit ſe quidem ea quæſitum non veniſſe, ſed arcas aliquot quas è Sequeſtro maternarum opum ſubduxiſſet: neque ſe data teneri fide, quominus & ipſum Bertramum & libros ad Inquiſitores trahat: atque ita demùm ſcripta omnia Conſtantini, quæ alicuius erãt momenti, præter ſuam & aduerſariorum expectationem, qui prædam illam multo auro alioqui redemiſſent, è latebris illis in mediam lucem ad manus Inquiſitorum peruenerunt. Repertus eſt inter alia multa ingens liber propria Cõſtantini ipſius manu totus conſcriptus, in quo apertè & veluti ſibi ipſi modò ſcribens de iſtis præcipuè capitibus (vt ipſi inquiſitores in ſua ſententia in theatro poſtea pronuntiata retulerunt) agebat, nempè De ſtatu Eccleſiæ. De vera Eccleſia, & de Eccleſia Papæ quem appellabat antichriſtum. De Euchariſtæ ſacramento, & de Miſſæ in-

 uen-

uento: qua de re asserebat orbem fascinatum propter sacrarum literarum ignorantiam. De Iustificatione hominis. De Purgatorio, quem appellabat lupinum caput & monachorum inuentum ob ventrem. De Bullis, & Indulgentijs Papanis, De meritis hominum. De Confeßione & de omnibus alijs demum Christianæ religionis capitibus. Viso hoc libro Constātinus interrogatus ab Inquisitoribus, an propriam manū agnosceret, quùm per multos dies conquisitis vndiq; subterfugijs conatus illorū elusisset, agnoscens porrò Dei voluntatem, quæ omnem tergiuersandi amplius occasionem sibi præcidisset, agnosco (inquit) manum meam, ac proindè fateor me ista omnia scripsisse, quæ & vera esse ingenuè profiteor. Neque est quod in conquirendis contra me alijs testimonijs vltra laboretis: habetis hîc iam apertam atque copiosam sententiæ meæ confeßionem, agite ergo, & de me iam, pro vt magis libet, constituite. Egit postea in carcere biennium integrum, vbi ex peßima illa totius victus ratione homo alioqui ea in parte sui negligentißimus, in primis vero ingenti ac planè incōsolabili mœrore confectus tot tam-

que diuturnos suos & piorum sociorum labores pijssima illa Ecclesia adeò truculenter deuastata perire videns, ægrotare primùm leuiter cœpit, deindè, cùm vehementem in illis fornacibus Solis ardorem ferre non posset, ad interulam vsque nudus diu noctúque esset, dysenteria correptus intrà quindecim dierum spatium in medijs illis sordibus fœlicem animam, & tali omnino dignam vitæ exitu, quam in strenuè promouenda Christi gloria erogauerat, Christo reddidit. Adfuit & ægrotanti & morienti pius quidam iuuenis monasterij D. Isidori Hispalensis monachus ob religionem captiuus, qui ei fuerat datus carceris comes Ferdinandus nomine. Insipientium quidem oculis visus est mori, at ille degit in pace. Atrocia illa tormenta, quibus alij ibi excarnificari solent, nunquam vidit; non quòd truculentos illos cyclopes vllus subiret tanti viri respectus, quorum in primis iram duris suis obiurgationibus vel captiuus sæpè in se concitauerat: sed aut quòd in illorum perpetuum metum àc solicitudinem, qui ipsius doctrina quoquo modo profecerant, eum diutius captiuum asseruare constituentes tormenta distule-

rant: aut certè quòd tam citò è manibus sibi eripiendum non cogitarunt. Ad eum, quem diximus, metum discipulis incutiendum, quo perciti seipsos proderent Inquisitoribus, antequam ab ipsis accerserentur inquisitoria scilicet misericordia freti, sparserant rumores, dum viueret, eum vehementer tortum complures ex discipulis inter quæstiones indicasse: atque in hoc ipsum, qui dicerent clamores & eiulatus torti se audiuisse, nonnulli ex arcis vicinia subornati. Eo autem mortuo & ex ipsorũ manibus Dei Prouidentia erepto, quum viuum in quem sæuirent, non haberent, in optimam sancti viri existimationem sæuire decreuerunt frequentibus sparsis rumoribus, vitreis fragmentis scisa vena vt dolorem atque ignominiam supplicij effugeret, mortem sibi consciuisse. Decantata quoque fuêre passim à pueris turpia atque ignominiosa carmina post eius obitum in ipsius vituperationem an ab ipsis Inquisitoribus siue eorum asseclis studiosé procurata, an ab stolido & vario populo malitiose edita, nescitur. Illud sane verisimilius. Triumphi die exhumatum cadauer est eductum & in demortui locum suf-

fectum simulacrum stramineum suggesto impositum, altera manu erecta, altera suggestum tenens, tanto artificio fabrefactum vt Constantinum eo habitu quo concionari erat solitus ad viuum representaret. Neque dubium quin inanis illa statua multorum animis æque efficaciter eo die concionata sit, atque is olim viuus quem ad ludibrium referebat. Quùm publicanda fuit illius sententia ad quam vnam audiendam complures ex diuersis ac remotis Hispaniæ locis Hispalim venerant, iusserunt Inquisitores nè ea è suggesto vbi aliorum sententiæ legebantur, vulgaretur: Sed allato ad ipsorum tribunal simulachro ibi quoque sententia legeretur: locus erat sublimis neque populus quæ legebantur audire poterat. Id fraudulentũ aut certè iniquum visum est Calderonio Prætori curiali: quare sublata voce admonuit Inquisitores vt sententia illa alte ac consueto loco legeretur, vt constaret populo quibus de causis eum virum damnarent. Quùm eo contempto Inquisitores in instituto nihilominus pergerent, exortum est ingens populi murmur eam iniuriam non admodum æquo animo patientis, neque omninò tulisset, vt videba-

tur, ni Calderonio rursus seueriore voce commonefaciente officij Inquisitores simulachrum illi in priorem locum restituissent, & sententiam iussissent legi alté ac consueto loco quo vniuerso populo id petenti fieret satis. Durauit sententiæ lectio amplius sesqui hora in qua illud erat precipuum quod ex libro Constantini supra retulimus. Addiderunt tamen Inquisitores multa se consulto & bono scilicet consilio prætermisisse adeò horribilia, impia & stupenda, vt nèque vulgari nèque audiri quidem possent citra piaculum. Consuluerunt (credo) bonæ existimationi illius. Extāt illius scripta typis edita multoties, Parua doctrinæ Christianæ summa. Item Magna, sed dimidia sui parte imperfecta: duobus enim tomis constituerat tradere vniuersum doctrinæ christianæ corpus, in priore agebat de Fide: in altero acturus erat de Symbolis, De operibus, ac demum de vniuerso Christiani hominis officio. Primam partem iam ante annos aliquot ediderat, qua, quòd in materia de fide Lutheranas hæreses non apertè fuisset insectatus, insuper neque Romano Pontifici nihil attribuisset, derogasset præterea potius In-

dul-

dulgentijs, Purgatorio Meritis hominum & alijs eiusmodi nugamentis, quam detulisset, multum sibi & inuidiæ & suspitionis hæreseos apud doctorum & sanctorum vulgus sibi conciliauit. Ipse uerò ea querentibus solebat respondere ad alterum promissum tomum ea omnia pertinere, ibi se de eis rebus copiosè tractaturum. Hic tomus nunquam exijt, nisi is fortaſsis fuerit quem inquisitores repererunt cuius præcipua capita ab ipsis vulgata supra meminimus. Edidit præterea Cathechismū haud magni momenti in locis liberioribus: at sub illa plusquam Babylonica tyrannide & in illis tenebris AEgiptijs multum attulit lucis. Extant & sex illius conciones in totidem versus Psalmi primi Dauidis ex quibus & raram viri doctrinam cum summo dicendi artificio cōiunctam eruditiores deprehendunt. Sed in his omnibus licet omnium quæ hactenus Hispania legit eruditiſsimis ac pijs lucubrationibus, nihil est quod cum vna hominis peccatoris Confeſsione duorum aut trium foliorum, siue pietatem, siue sacrarum rerum peritiam, siue flumen illud Christianæ eloquentiæ Christianis affectibus pro argumenti na-

tura exæstuans quis consideret. Sistit enim hominem ad Dei tribunal ministerio Legis apertis oculis fœditatem ac turpitudinem suam meditantem ac viuis affectibus deplorantem: reijcientem deindè quicquid humanis aut etiam creatis viribus aut industria ad tam turpem nuditatem contegendam adducere solent hypocritæ sibi in sua iustitia blandientes. Dúmque illud agit per vniuersa legis capita singillatim dicta accusatione sui tum dilucidam, luculentam atque copiosam legis totius breuissimo illo compendio explanationem edit, vt tam paruo editam molimine (quod citra cuiusquam inuidiam dictum volumus) dilucidiorem hactenus non viderimus. Vestit eum tandē nuptiali illa veste iustitię Christi per fidē qua vna illū corā Deo eò reddit animosiorem quò deiectiorem eundem antea depinxerat ex vera illa atq; penitissima cognitione sui. Denique nullus est Christianæ doctrinæ locus quem in illa perbreui tabula non attigerit ad vsumque reduxerit: nullus Christiani hominis affectus ab ipso primo legis officio ad postremos vsq; cœlestis domi gustus quem ad [illegible] non expresserit: neq; ingeniū quantum-

tumuis mirabile cũ exquiſito artificio ad id effingendum vnquã fuiſſet ſatis, niſi ipſa quoque earum rerum frequens experientia acceſsiſſet. Eos libros omnes æterna ſanè memoria dignos à ſe, incautis licet, antea probatos damnarũt tum Inquiſitores, non quod quicquam in eis deprehenderint, vt in ſua ſententia teſtati ſunt, damnatione dignum, ſed ne quicquam extet quod execratã per eos ſcilicet hominis memoriam honeſtiore quopiam monumento à ſe relicto in poſterum cohoneſtet. Sęuitum deinde in ſicca & exhumata ſancti viri oſſa & in inane illud ſimulachrũ Inquiſitorio more. Ipſe verò è catenis & iniquiſsimo illo iudicio ad Deum ſublatus præter inſignia atque immortalia illa quæ iam diximus monumenta, ijs qui eum proprius agnouerunt, inconſolabile quoddam reliquit deſiderium ſui. O millies deteſtanda Barbaries, quum reſtituere vnquam nõ poſſis, ecquid tandem orbi pendes pro tot clariſsimis luminibus à te extinctis;

FINIS.

Heydelbergæ excudebat Michael Schirat, M. D. LXVII.


ACVITVR FERRVM FERRO

